

A. L. Peirson.

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
Open Knowledge Commons and Harvard Medical School

http://www.archive.org/details/paschalisjosephi00ferr

PASCHALIS JOSEPHI FERRO

MED. DOCTORIS, S. C. R. MAJ. CONSIL. PHYSICI PRIM. CIVIT. VIENNENSIS, ACADEMIAE NAT. CURIOS. MEMBRI

EPHEMERIDES MEDICAE.

VINDOBONAE,

TYPIS JOSEPHI NOBILIS DE KURZBECK CAES. REG. AULAE TYP. ET BIBLIOP.

MDCCXCII.

8. C. 48

BOSTON MEDICAL
OCT 16 1922
LIBRARY

PRAEFATIO.

Dum quas Viennae obſervavi, aeris morborumque vulgarium viciſſitudines continuata, quantum per negotia licebit, ſerie deſcribere aggredior, vix utilius rei medicae quidquam praeſtare me poſſe crediderim; vaſtiſſima enim Germaniae Metropolis nunc benigno, nunc malevolo atmoſphaerae influxu latiſſimum obſervandi campum ſimul ac aegrotantium numerum non mediocrem ſuppeditat, ut, qui morbo conſtitutionali laborent aegri, nullo non anni tempore reperiantur.

Quam arcte vero pleraque morborum vulgarium genera cum aeris natura connexa ſint, Medicorum nemo, qui variam

morborum crasin pro varia anni tempestate vel obiter tantum animadvertit, ignorat; etenim ut non eosdem, quos in hyeme, morbos in aestate observamus, sic autumnales a vernalibus differre, quis non videt?

Insuper et annis redeuntibus, alia ex eodem fonte dimanentia deprehendimus morborum semina; aeris enim qualitates, gravitas, calor, et motus perpetuo inter se dissidentes, nec uno quidem momento consìstentes eodem gradu, non possunt atmosphaerae, in qua natitamus, non mutare indolem, qua mutata corporum nostrorum status simul mutetur, necesse est.

Hinc liquet, quam diversi sint, qui ab atmosphaera, utpote primaria morborum vulgarium causa, nascuntur morbi quamque multa nova non minus ac utilia observatori supersint adnotanda.

His positis, si, continuato per plures, annos opere, et atmosphaerae et morborum vulgarium descriptionem tradidero, nec medicis ingratum, nec aegris inutilem fore laborem meum confido.

Pe-

Periculosiores quidem morbos rarius, quod superis acceptum referimus, in genus mortale grassantes, paucos affero; sed ii ipsi vulgares morbi, licet in plurimis leviores videantur, quam ut cura medici indigeant, in aliis tamen dubiis symptomatibus serpendo latius, medicum genii constitutionalis ignarum saepe adeo fallunt, ut, quid consilii capiendum sit, judicare vix possit; imo hos eosdem in alios plerosque morbos influere, aliis eos imbuere characteribus, futurosque praesagire, audacter affirmavero.

Quae cum ita sint, ut usu quotidiano teste certo sunt, non supervacaneum esse arbitror, si, quae diligenti ad lectos aegrorum observatione indies didici, literato orbi communicem. Missas facio, quae doctiorum exerceant ingenia, obstrusas Theoriae hypotheses; sed vacuum hoc fida et simplex visorum observatorumque abunde compensat enarratio; veritatem enim confirmat experientia, exemplo monstrante viam.

Vera sunt quae scribo, attente ad lectum non unum iterum iterumque observata. In hoc solo velut rei cardine anxius desudavi, de linguae flosculis parum solicitus.

Ordinem morborum servavi nullum, nec alium servare potui, quam eum, quem continuata morborum vulgarium sine ordine ingruentium enarratio praescriberet. Iis quidem, qui recenter propullularunt, et quorum genius novis ludebat phaenomenis, paulo inhaesi diutius. Paucos alios hinc inde morbos interspersi minus frequentes, prout in decursu mensis occurrerunt.

Ut restauratio sanitatis unicus est medendi scopus, ita methodum servavi simplicissimam, nullius rei studiosior, quam ut scopum hunc attingerem. Sic amicior naturae, certior simul ac brevior, quam pomposis pharmacopaeorum compositionibus, redditur medicina.

Denique non alienum videtur, de nosocomio, cui Ephemerides primariam suam debent originem, cujusque singulis mensibus rationem reddo, pauca commemorare.

Omnes hujus civitatis captivi, sive quaestioni adhuc subsint, sive criminum capitalium, aut politicorum, debitorumve mala fide contractorum rei, ad carcerem, laboresve publicos modo fuerint condemnati, quamprimum aegrotant, e carceribus ad proprium deportantur nosocomium, a divo Josepho II. commodissime, amplissimeque exstructum, cujus cura, atque directio mihi qua physico civitatis commissa est.

Plura hic cubilia ampla et alta, ventilabris, oppositisque fenestris instructa, balneum, horreum, hortus, aliaque, quae ad nosocomium pertinent necessaria loca, et domicilia aegrorum saluti inserviunt.

Cibatus, pro gradu morbi et reconvalescentiae in plures portiones non secus ac in nosocomio generali distinctus, eodem ac ibidem pretio solvitur. Cibi, potus, et medicamenta illimitato medici relinquntur arbitrio.

Ad manum medici praesto sunt chyrurgus primarius, duo assistentes, et obstetrix; cuilibet denique cubiculo proprius in-

inservit infirmarius, ita ut vel ad commoditatem, vel ad salutem aegrotantium nihil desideraveris.

Numerus aegrorum varius est pro varia anni tempestate, sicut id ex computatione cujuslibet mensis concludere licet; interim raro quadraginta minor est, raroque major octoginta.

Observamus hic quidem proprios captivorum morbos ex propria miserorum cum animi, tum corporis conditione natos; nihilo tamen minus constitutio regnans, ut ubique locorum, ita et hic suum exercet dominium: vel minimam enim constitutionis mutationem ab aegris nostris, omni licet civium commercio prohibitis, jam ante praesentiri, saepe saepius observamus.

Compos ero votorum meorum, si quid ad historiam morborum vulgarium incendero luminis; unicum id erit suscepti laboris praemium, unicum ad continuationem incitamentum.

EPHEMERIDES MEDICAE

ANNI 1790.

JANUARIUS
anni 1790.

Barom.		Therm. Reaum	Venti a)		
Dies.	alti. med.	gradus medius.	mane.	meridie.	vesperi.
1	27 dig. 10 3/4 lin.	+ 0 1 2/3 gradus	S. p.	o	o
2	28 — 4 —	+ 0 2 3/4 —	N. p.	o	W. p.
3	28 — 1 8/4 —	+ 0 1 1/4 —	o	o	o
4	28 — 0 1/3 —	+ 0 1 2/3 —	o	o	o
5	28 — 3 —	+ 0 1 1/4 —	o	o	o
6	28 — 2 1/3 —	— 0 2 1/4 —	o	o	o
7	28 — 2 —	— 0 1 1/4 —	o	o	o
8	28 — 1 —	+ 0 2 1/2 —	W. m.	W. p.	W. p.
9	28 — 3 1/2 —	+ 0 2 2/3 —	o	o	o
10	28 — 3 2/3 —	+ 0 1 —	o	o	o
11	28 — 2 3/4 —	+ 0 0 1/3 —	o	o	o
12	28 — 1 3/4 —	— 0 1 —	o	o	o
13	28 — 0 3/4 —	— 0 0 —	o	o	o
14	27 — 11 1/2 —	+ 0 1 1/4 —	o	o	o
15	27 — 11 1/2 —	+ 0 0 1/3 —	o	o	o
16	28 — 1 —	+ 0 0 3/4 —	o	o	N. p.
17	28 — 3 1/3 —	— 0 0 3/4 —	N. p.	N. p.	N. p.
18	28 — 2 3/4 —	— 0 3 1/3 —	N. p.	N. p.	N. p.
19	28 — 2 1/2 —	— 0 0 1/4 —	o	o	o
20	28 — 3 1/2 —	— 0 0 1/2 —	o	o	o
21	28 — 3 3/4 —	— 0 0 1/4 —	o	o	N. p.
22	28 — 2 1/2 —	— 0 0 2/3 —	N. p.	N. p.	N. p.
23	28 — 0 1/3 —	+ 0 0 1/3 —	o	o	o
24	27 — 11 1/3 —	— 0 0 —	NW. p.	NW. p	NW. p.
25	28 — 8 —	+ 0 2 —	o	W. p.	W. m.
26	28 — 0 1/4 —	— 0 5 —	o	o	o
27	27 — 9 3/4 —	— 0 6 1/4 —	o	SSO. p.	SSO. p.
28	27 — 8 1/3 —	— 0 6 3/4 —	o	o	o
29	27 — 6 1/3 —	— 0 3 1/2 —	o	o	o
30	27 — 6 —	— 0 2 —	o	o	o
31	27 — 7 1/3 —	+ 0 1 3/4 —	NW. p.	NW. p.	NW. p.

Die 2 barometri altitudo maxima = 28 dig. 4 1/2 lin.
Die 25, 29, 30, 31 altitudo minima = 27 dig. 6 lin.

Diffe. = 0 dig. 10 1/2 lin.

Die 27 frigus maximum = — 0 9 grad.
Die 2 calor maximus = + 0 4 grad.

Summa variationis = 0 13 grad.

a) Litterae O. Eurum, S. Austrum, W. Favonium, N. Aquilonem, f. ventum fortem, m. mediocrem, p. parvum, o. nullum, id est aëris malaciam denotant.

BOSTON MEDICAL
OCT 16 1922
LIBRARY

Continua hyemis hujus lenitas, alias rarissima, miris per integram Europam phoenomenis, quae et hic Viennae observavimus, insignis est. Ubique plantae germinarunt: vidimus recentes rosarum surculos, pluribus pollicibus longos; rubum caesium et idaeum longis frondosisque ramusculis gaudentes, pluresque plantas aperto sole in horto botanico, alibique florescentes.

Lenitas haec aëris a prima Novembris prioris anni ad vigesimam sextam Januarii subsequentis continuavit: nix quidem aliqua vigesima tertia Januarii cecidit, quae vero vento meridionali vigesima quinta mox diffluxit.

Celeberrimus noster Hell causam physicam benignae hujus hyemis unice repetendam credit a continua per tres fere men-

ses

ses durante malacia, aëris fluxui, sit venia verbo, et refluxui contraria. Hinc coelum continuo nubibus tectum, hinc densiores illae nebulae, quiescentibus ventis, terrae incumbentes, qnae aëris vix moti calorem a gradu depellere non poterant. Hic enim Viennae omnis aëris constitutio a ventis, id est, ab aëris motu pendet. Venti ab O et N flantes sicci sunt, frigidique, coelumque reddunt serenum: Venti a NW, et SW humidi sunt, nubibus coelum obducentes, in aestate pluvias copiosas, in hyeme nivem advehunt: Venti a S et SO spirantes calidi sunt, humidique, in hyeme glaciem solvunt, in aestate aërem calidum humidumque reddunt, plerumque tamen absque pluvia: et sic de reliquis. Omnes ergo aëris vicissitudines nonnisi a ventis dependent: unde perperam non concludimus, malaciam hujus hyemis universalem, tamque diuturnam, parentem esse unicam insolitae aëris temperiei, quam nunc per tres menses experti sumus.

Animadversione vero dignum est, omnes septentrionales regiones hac hyemis clementia gravisas esse, regionibus orientalibus et montosis frigore niveque rigentibus.

bus. Ipso in Austriae ambitu varietas haec observata fuit: regiones alias frigidiores mitiorem nunc aërem respirarunt, quam eae, quae moderatiores esse solent. Mercurius in thermometro, qui hic Viennae noctu saepe ad punctum glaciale, quandoque et infra id descenderat, in regione silvestri, frigidissima Austriae parte, plerumque sex gradibus supra punctum glaciei constitit. Nix ibi adhuc nulla, imo trigesima Decembris brevi, tepidaque cadente pluvia iridis arcus horizontem, qua late patet, exhilaravit.

In nosocomium hoc mense aegros suscepimus quadraginta octo, viginti septem acutis, viginti et unum chronicis et chirurgicis morbis laborantes. Mortuus ex his decimus.

Omnium fere acutorum inflammatio fomes fuit, adeo, ut, ubicunque acutam febrim, ibi et inflammationem vix non deprehendisses, majorem minoremve, modo ex hac modo ex illa corporis parte erumpentem. Vidimus enteritides, hepatitides, nephritides, omnium vero frequentissimas peripneumonias.

Ex

Ex viginti septem aegris undecim peripneumonia, unum carditis, tres enteritis, duos nephritis, totidem hepatitis, alios febris gastrica plus minus inflammatoria corripuerat.

Pulmonum inflammatio ex classe catarrhalium erat, quae ob peculiaria sibi adjuncta symptomata, propriamque medelam fusiorem paulo descriptionem meretur. Peripneu. monia catarrhalis.

Per aliquot nimirum dies praecesserant horripilationes vagae, capitis gravitas insolita, inappetentia, os insipidum et pastaceum, tussis molesta, sicca, cum pectoris oppressione. Interim aegri sua munia adhuc obibant sat alacres.

Tandem accessit quarto, quinto, sextove die frigus intensius cum corporis debilitate febrili, ut aegri nunc lectum petere cogerentur. Successerunt calor siccus, capitis gravitas major, major pectoris oppressio, tussis simul frequentior et magis dolens. Sputum initio nullum nunc spumosum apparuit, paucum, multo labore excreatum. Medium pectus dolore gravante pressum, quandoque et unum alterumve

latus.

latus, brevi tamen lenitum fomentis calidis. Respiratio erat oppressa, cita et stertorosa: experimento tamen facto aegri et profunde satis inspirare, et spiritum diu retinere poterant absque incommodo. Interim solita respiratio cita erat, stertorque et sibilus tam in inspiratione, quam exspiratione percipiebatur saepe magnus, et in omnibus aegris aequaliter.

Pulsus erat celer, frequens, et ad mollitiem tendens, lingua humida, levi muco obducta, oris gustus pastaceus, sitis modica; facies labiaque rubicunda, hypochondria mollia.

Sputum, cujus quantitas indies major, recens quidem excreatum fluidum apparuit et spumosum, ast collectum in vase conglutinatam massam formavit, picis fluidae ad instar tenax: limpha coagulabilis, in bronchia inflammata deposita, ibique tenacior facta, stertorem illum in respiratione peperit.

Nonnulli repetita venaesectione, copiosisque diluentibus nitrosis, acescentibus tepidis adjuti morbum hunc facile superarunt.

San-

Sanguis crusta contracta phlogistica tegebatur. Cuicunque sanguinis eductioni successit respiratio facilior, stertor minus molestus, cutis madida cum tussis et oppressionis levamine.

Quarta, quintave die urina hucusque cruda flavicansque cum sedimento albo lateritio, alvus copiosior cocta pultacea, sputa imminuta, mucosa, minus tenacia: et sic ex undecim aegris quinque septima modo die pristinae sanitati erant restituti.

Quibus vero mox ab initio debita sanguinis eductio neglecta fuerat, aut ubi morbi vis partem majorem pulmonum, eamque vehementius inflammaverat, his morbus et diuturnior fuit et periculosior.

Praeter priora symptomata cutis erat arida, facies, oculi, labiaque intensius rubra, caput obtuse dolens, somnus brevior, perturbatus insomniis terrificis, sitis major, tussis vehementior pertinaciorque, saepe et dolor in inspiratione profundiori, vel tussi majori, sputum tenacissimum aequale spumosum, stertor in respiratione major, ita ut varii quandoque sonitus variae-

riaeque modulationes singula respiratione perciperentur: pulsus fuit celer, velox, semper tamen mollis, decubitus in utrumque latus indolens: interim aegri plerumque supini jacebant ob minus oppressam respirationem: urina fuit tenuis, parum flavicans.

Si et in hac periodo antiphlogisticam medelam neglexisses, actum erat de aegri vita. Natura quidem ultimatim se ipsa juvabat haemoptysi; sed triste id fuit auxilium, quod aegri vitam ad tempus servavit, ad eum tardae phthisicorum morti tradendum.

Morbus hic non tam cito desiit, nec una eademque stata critica die. Inflammatio, convenienti medela tractata, indies quidem minuebatur coagulo inflammatorio vice post vicem excreto, febris tamen continuo adfuit indies imminuta parum, et lento passu in febriculam abiens, quae partitis quasi vicibus, lysique sensim decessit.

Peripneumonia haec vehementior eandem ac prior medelam requisivit, sanguinis ni-

nimirum eductiones et potum diluentem, acescentem. Sanguinis tamen eductio et frequentior esse debuit et liberalior. Septem, octo et plures librae sanguinis educendae fuerunt, antequam orgasmus sanguinis mitigari et inflammatio resolvi coeperit. Imo inclinante nunc ad finem morbo venaesectio unicum rebellis tussis, vel oppressionis aut continuantis, aut de novo accedentis fuit remedium.

Inexpertus ob stertorem muci potius in aspera arteria haerentis eductionem, quam venaesectionem debilitantem necessariam credidisset: ast vidimus sanguine educto brevi silere stertorem: is enim erat inflammatae et tumidae bronchiorum membranae sequela, qui eo major erat, quo magis tumescebat bronchiorum membrana. Hac inflammatione resoluta stertor omnis siluit.

Decoctum hordei cum oxymelle et nitro, et quemcunque alium potum acescentem antiphlogisticum hoc in morbo prestantiorem esse didici, quam decocta emollientia, et mucilaginosa, aliaque passim in peripneumonia laudata. Continuato enim horum

rum usu morbus nullo modo minuebatur, stertor idem, eadem tussis, oppresio, febrisque: nec ullum natura lenimen sentire videbatur. In longum protrahebatur morbus, aut sero finiens viribus aegri fractis, aut in phthisin abiens cum vita cessaturam. Acescentia vero et nitrosa medicamenta instantaneam ferebant opem: expuitio brevi facilior reddebatur, stertor minus molestus et tussis rarior.

In civitate peripneumonia haec currente mense aeque ac praecedenti morbus fuit frequentissimus.

Reconvalescentia sera fuit et diuturna, aegro etiam e lecto surgente et appetente cibum, morbus nondum cesserat. Tussis et febricula diu adhuc afflixere aegros, qui tractu temporis non absque periculo vires quidem acquisiverunt ad obambulandum, quandoque etiam ad exeundum foras, attamen non ea, qua alii reconvalescentes membrorum levitate gravisi sunt: vires erant fractae alia prae alia die debiliores: oculi tristes, facies pallida, genae per vices quandoque rubentes, lingua ut plurimum humida et pura, gustus etiam purus,

sitis

sitis praesertim post prandium continua, pectus semper oppressum, etsi absque dolore spiritum profunde traherc et in alterutrum latus decumbere possent.

Dolor quidem lateris in inspiratione profundiori, sed momentaneus tantum; ut plurimum tamen pressorium dolorem in medio sterni senserunt aegri. Mane in expuitione observabatur sibilus, usque dum largior muci quantitas tussi rejecta foret.

Hucusque sputum semper mucus tenax erat, vera lympha coagulata: in vas aliud immissum tota massa conglutinata fundum petebat, priore vase remanente sicco, quasi fluidum non continuisset.

Sputum hoc in vasis vitreis detentum post aliquot dies ad fundum deposuit sedimentum album crassum puri cocto simillimum, supernatante reliqua parte aquosa clara, limpidaque: sedimentum hoc et in aqua fundum petebat, et cum oleo tartari gelatinam formabat. An inde ex lympha coagulabili puris origo derivari possit?

Varia

Varia tentavi ad tenacitatem horum sputorum incidendam. In plura vasa separata, sputorum aequalem quantitatem continentia, indidi nitrum, salem ammoniacum, acetum, mel, oximel, oximel squillae, kermetem mineralem, alcali vegetabile fixum, succum citri, etc. ast tenax mansit lymphae coagulum, usque dum post tres quatuorve dies sponte separaretur in pus et aquam limpidam: sputum tamen cum aceto prae aliis multo plus tenacitatis amiserat.

Interim cum casu aquam sputo commiscuissem et vas agitarem fortius, video, simplicissima me via id nunc obtinuisse, quod mille experimentis frustra quaesiveram. Sputum enim dilutissimum nunc erat et penitus aquosum. Haec fluiditas aut aquae aut agitationi aut utrique debebatur. Tentabam, an agitatio sola in causa esset: Sumpsi tenacissimum sputi coagulum, idque in vas colli angustioris coactum agitavi per septem circiter minuta secunda. Ecce sputum tenaciſsimum simplici hac, brevissimaque agitatione in aquam limpidam conversum, quod facillime ex inclinato vase effluxit, fluidumque mansit!

Patet

Patet hic, tussim ipsam, molestissimum saepe morborum symptoma, minus opinione vulgi noxiam, sed potius salutare forsan esse naturae opus, ad lymphae coagulum, pulmonum bronchia inviscans et obstruens, subigendum et incidendum. Imo quis hic non videt, omnia tussim sopientia medicamenta maximum detrimentum necessario afferre, nisi id, ob quod tussim excitavit natura, ex pulmonibus prius fuerit eliminatum?

Aegris his pulsus semper fuit celerior naturali, 90 — 100 ictuum in uno minuto. Morbo inducta macies aucta potius, quam imminuta; noctes inquietae.

Si his non conveniens opponebatur medela, priora recurrebant mala: appetitus sensim minor, sudores nocturni, tussis siccior invalescebant, celerique passu morbus in phthisin pulmonalem degenerabat.

Hoc in statu immutatum antiphlogisticorum acescentium usum inveni longe saluberrimum, adeo, ut omnes inde aegri reconvalescerent.

Robo-

Roborantia econtra et spirituosa, imo sola amara nocebant: augebant enim phlogosin, quae adhuc aderat. Eductio sanguinis nimia in hac periodo vires vitae debilitavit, nec abstulit coagulum inflammatorium, fors nec fomitem morbi; hinc retardavit sanationem, saepe et eam reddidit impossibilem.

Nil conducebat aegris melius sero lactis, pro ratione alvi vel cum cremore vel cum aceto praeparatum. Ejus usu tussis sedabatur et febris, sputa imminuebantur, et post duas tresve septimanas aegri viribus et carne recuperatis sanitati pristinae fuerunt restituti. Uni alterive aegro, qui ob corporis compagem, vel alia accidentia ad phthisin erant magis dispositi, longiori tempore serum lactis bibendum fuit. Ast et hi reconvaluere, medicamento in aestatem usque continuato.

Hac methodo omnes aegri in nosocomio febre inflammatoria laborantes sanati sunt, uno excepto, qui carditide i. e. vera cordis inflammatione laboraverat.

Erat

Erat hic vir robustus, alias semper sanus, 43 annorum. Priori aestate remittente biliosa decubuerat, emeticis, purgantibus 17ma morbi die febre liberatus: ab hoc tempore sanus vixit. Carditis

Initio Januarii orthopnaeicus fieri, tussire sicce coepit: haec mala, indies licet graviora, contemnit. Die 22 mane horripilatione vehementi afficitur cum tussi, dolore lateris sinistri, oppressione et animi deliquiis. Post aliquot horas in nosocomium adfertur. Durat ad vesperum horripilatio. Dolor lateris minuitur, oppressio remanet, augeturque. Venaesectione facta sanguis crustaceus educitur, datur decoctum hordei tamarindinatum cum nitro. Nox insomnis cum continua oppressione. Die 23 caput est liberius, facies rubescit, lingua pura sicca, os purum, dolores nulli: in medio vero pectore pone os sternum conqueritur aeger de pondere continuo, quasi saxa sibi imposita jaceant. Tussit parum absque molestia: suspiria multa, respiratio anxia: in utrumque latus absque dolore, in dextrum vero et in dorso minori cum anxietate decumbit. Abdomen est molle, sitis magna, pulsus celer, ve-

 lox,

lax, mollis, parvus; manus pedesque reliquo corpore frigidiores. Reiteratur venaesectio, continuantur medicamenta antiphlogistica nitrosa: sanguis crustaceus: breve anxietatis lenimen exsiliente sanguine: vesperi iterum sanguis educitur crustaceus.

Die 24. Oppressio eadem: pulsus magis collapsus: frigus manuum, pedumque sensibile. Certus de cordis inflammatione reitero venaesectionem, continuo medicamenta antiphlogistica, applico suris sinapismata, et omni bihorio granum camphorae cum nitri scrupulo semis suppedito.

Sanguine e vena tarde effluente et sponte fluere renuente unciae vix tres emittuntur: crusta tenui tegitur cruor minus compactus. Interim aeger aliquod inde sentiebat lenimen. Urina est tenuis, flavicans, eneoremate natante: alvus bis; vesperi levis horripilatio, dein calor paulo major: nox insomnis anxietate aucta.

Die 25. Manusque pedesque livescentes, frigidi, respiratio brevissima et maxime anxia cum levi stertore; tussis rarior,

sicca,

sicca, vox deficiens. Aeger continuo mediam pectoris plagam digitis monstrat, indicans, hic latere anxietatis funestae causam: oculi splendent, facie, labiis, linguaque pallescentibus: pulsus nullus in carpo, in temporibus vix perceptibilis: nox terribilis inter inquietudines et anxietates. Somnus levis, brevissimus, et vigilationes violentae, terrificae.

Die 26. Frigus et livor manuum, pedumque augentur: livor ad antibrachia et malleolos, frigus ad brachia et femora extenditur: sudores frigidi, omnia instantis mortis symptomata, vi animi integerrima. Sub meridiem mors leves inter convulsiones.

Cadavere aperto cerebrum sanum, pulmones ambo sanguine turgidi, lympha coagulabili undique cincti: cordis pars dextra et inferior auriculam et ventriculum dextrum efficiens ad apicem usque inflammata, fusca, livescens: vasa coronaria sanguine turgida; exterior cordis facies plena excrescentiis albis verrucosis, a lympha coagulabili ortis: polyposae concretiones in vasis. Omnia alia viscera sana.

Inter-mittentes.

Praeter inflammatorios morbos febres intermittentes hoc mense non minus fuerunt frequentes, praecipue tertianae, a glutinosis primarum viarum impuritatibus ortae. Sanabantur facile salium mediorum usu, vel et tartari emetici refracta dosi Nemo cortice indiguit. Ad recidivas avertendas, et sanitatem confirmandam dedi sub finem amaricantia.

Aeger quartana per novem menses adfectus attentiorem exposcebat curam. In regione paludosa febre hac correptus fuerat: habitus corporis fuit cachecticus, tumidulus; abdomen plenum obstructionibus, lingua alba, oculi flavicantes, palpebrae inflatae, pulsus mollis debilis, apyrexiae tempore tardus, et inaequalis, urina modica, fusca, opaca, alvus inordinata nunc obstructa, nunc dyarrhaeica. Dedi varia, sed frustra: deinde drachmas tres arcani duplicati et decoctum radicum graminis et taraxaci cum grano uno tartari emetici sumpsit per diem; diaetamque servavit mere vegetabilem.

Continuavi haec per tres septimanas. Alvus hoc tempore ter indies quaterve soluta,

luta, flava, saepe et fusca, nigricans, pultacea. Lingua depurata rubescere coepit: gustus amarities paulatim nulla: facies, oculique lucidiores, abdomen molle, in urina post quemlibet paroxismum sedimentum rubrum lateritium, febri interim stata semper hora redeunte.

Corpus sufficienter depuratum credens corticem peruvianum 14[ta] Febr. exhibui; drachmas nimirum duas pulveris corticis peruviani rubri. Paroxismus febrilis inde non emansit: auxi dosin ad drachmas quatuor per diem, additis rheo et sale ammoniaco, cum alvus durior evasisset. Sed nec hisce cessit febris: contra et frigus et calor vehementius furere et diutius, oculi denuo flavicare, lingua sordibus infici, abdomen intumescere. Die 20. Febr. omisso cortice incidentia denuo dedi: drachmas arcani duplicati quatuor per diem in pulvere et decoctum malvae cum uncia semis cremoris tartari. Inde mox copiosa solida alvus et urina cum multo sedimento lateritio sequebatur. Die 25. paroxismus mitior: die 28. serius adrepebat febris multo brevior, minusque vehemens. Diebus liberis aeger optime se habebat. Tertia Martii paroxismus

idem

idem mitis; hinc quarta denuo dedi corticis peruviani rubri drachmas duas per diem: quinta eandem dosin: sexta nulla febris, oscitatio tantum frequens tempore febris consueto: septima, octava, nona continuo datus cortex: nona disparuit febris penitus.

Haec laetitia minus nobis fuit diuturna viso corporis statu hydoprico, praecipue faciei; abdomen adstrictum erat, pedes oedematosi, aeger anxius ac orthopnoeicus tussiebat sicce: urina modica, crassa, fusca. Omisso mox cortice dedi decoctum malvae cum cremore tartari. Undecima et duodecima urina copiosior, nulla febris amplius. Sic hydrops brevi evanuit, urina nunc continuo largius effluente. Decima quinta Martii aeger integre sanus nullum amplius sensit incommodum.

Nihilominus illum sine omni medicamento ad decimam tertiam Aprilis in nosocomio retinui, partim ut viderem, num febris rediret, partim ut penitus vires recuperaret diuturna febri valde exhaustas: hucusque sanus mansit.

Casus

Casus hic clare edocet, quam arcte febres intermittentes cum suis causis, unde ortum traxere, connexae sint, et quam saepe impuritates ac obstructiones in secretioribus corporis partibus, omnibus licet signis depurationem optime factam indicantibus, latere, febrimque continuare possint. Rarissimae certo febres sunt, quarum sic dictus character febrilis unica continuationis causa est. Ut plurimum adsunt impuritates, quas excoquere natura tentat et febre continuata expellere.

Si huic aegro initio corticem ulterius porrexissem, febris certissime, ut et modo apparebat, in continuam transiisset, eo maligniorem, cum occulta viscerum abdominalium inflammatio ejusdem fuisset causa, quae vel in gangraenam, vel in suppurationem immedicabilem abiisset, praecipue cum corticis duplicata dosi inflammatio indies magis fuisset propagata.

Excoctis vero et eductis penitus impuritatibus cortex et constanti effectu, et cito juvit, febrimque extirpavit, quam ne repetitae quidem salium sumptiones resuscitare poterant: imo salia ipsa febris recidivam

divam feliciſsime impediebant, resistendo obstructionibus, statibusque humorum in partibus exterioribus, quae corticis adstringente vi rursus erant inductae.

Lepra. Hoc mense aegrum in nosocomio habui, cujus morbus ad historiam leprae aliquid conferre potest.

Vir triginta duorum annorum valde macilentus, qui multos annos rerum omnium inopia conflictatus, non habuit,
Frigus quo duramque famem depellere possit,
in nosocomium intravit.

Fuerat hic antea mercenarius: ante tres annos peripneumonia laboraverat, a qua sanatus siccam retinuit tussim: hyeme sequenti tussis vehementior cum febri: sanatus inde debilis mansit, et per aestatem ad labores minus firmus, unde victum mendicando quaerere coactus. His in miseriis tussis aucta fuit, corpusque magis debilitatum. Tecta omnis generis impuritatibus superficies corporis versus hyemem multis ulceribus scabiosis siccis valde prurientibus affecta. Ille interim continuo famelicus obvia quaeque avide voravit.

Sub

Sub finem Decembris 1789 tumor phlegmonodes in utroque femore prope trochanteres majores nascitur: super lignum continuo cubanti tumores hi cito in abscessus abeunt. Secunda Jan. in nosocomium ducitur. Super trochanteres majores tumor pallido ruber, mollis surrexerat, octo pollices longus et tres latus. Fluctuatio fluidi cujusdam hic facile detecta est. Aperto utroque tumore pus bene coctum effluxit unciarum quinque. Deligavimus abscessus digestivis, leviterque roborantibus. Aegro dedi decoctum malti hordei et lac, atque praeterea corticem peruvianum tum in substantia, tum in decocto, nutrimento vero eupepta, sed incassum.

Primis decem diebus ulcera multum dedere puris, cujus dein copia minor fuit quidem, sed sine ullo consolidationis signo. Caro recens flaccida, pallidaque. Optimis licet roborantibus adhibitis, nullus fuit horum effectus. Tussis continua, vehemens, sputum copiosum, purulentum, corpus quotidie magis macilentum.

Versus decimam Febr. alium induit colorem, exaruit cutis corporis. In facie infra

fra oculum dextrum in gena descendendo ad mentum usque, in medio pectore dextrorsum usque ad regionem epigastricam dextram, in brachio denique et femore utroque apparuit maculis distinctum exanthema siccum, album, squamosum, simul ac squamarum instar et furfurei pulveris decidens, cute inferiori insensibili, — vera impetigo. Hae maculae et striae indies auctae, indies novae propullularunt, adeo ut intra octiduum paucae cutis sanae regiones superessent. Integra facies a fronte ad mentum usque, abdomen integrum, maxima pars dorsi, brachium utrumque, et femora pedesque ad digitos usque quodammodo latebant sub albo siccoque exanthemate leproso. Levissimo contactu, frictuve exuebatur tophacea cutis superficies, squamis in pulverem tenuem furfuraceum abeuntibus, cutis integra pruriebat, urebat. In parte cappillata exanthema idem: supercilia, barba, capillique arescebant canescentes, defluebantque.

Aeger erat valde debilis: oculi inflammati, dolentes, nec lucem ferentes: lingua munda, nulla nec in cute, nec in abdomine durities: tussis nunc minor, respiratio paulo

paulo facilior, sputum solito minus: alvus rara, sitis major, fames maxima, sudor nullus, lintea vero scatentia pulvere albo furfuraceo exanthematis, subinde lancinans dolor artuum, ulcera vero femorum semper aperta, sine pure, sine coalitione.

Nondum legeram hoc tempore classicum Hensleri opus de lepra. Interim clarum est, aegritudinem hanc ad classem leprae pertinere. Summam humorum corruptionem inde quidem perspexi; nihilo tamen minus exanthema hoc considerandum fuit tanquam effectus naturae operantis, cujus nutui obediendum censui.

Cum acrimonia herpetica fors basis totius morbi existeret, in hanc solam credidi cogitationem omnem esse dirigendam. Quapropter flores sulphuris porrexi, aucta dosi decocti corticis peruviani cum lacte; continuavi simul decoctum malti pro potu, praescriptis continuo optimis nutrimentis. Cum aeger nimium debilis ad balnea usurpanda fuerat, continui eum in lecto bene calidum, et potus praebui calidos.

His

His non obstantibus febricula continua illum affligere non destitit, indies aucta. Tussis initio mitior recruduit, sputum discolor evasit, et foetidum; respiratio indies magis oppressa, laboriosa, tumore oedematoso pedes occupante, viribusque collabentibus; aeger tandem 22 Febr. exanimatus est. Notandum exanthema binis ante mortem diebus multum imminutum fuisse; item, aegrum nunquam venerea lue laboravisse.

In cadavere pulmones ambo erant discolores, gangraenosi. Cavum pectoris sero flavicante plenum, internatantibus hinc inde caseosis particulis. Viscera abdominis sana: In ulceribus femorum caro pallida, et sinus non profundi. Cutis, praecipue ea, quam obsederant primae impetiginum maculae, durior, et tunica cellulosa subjacens sero flavicanti redundans.

Mortui hoc mense in civitate 1170.

FEBRUA-

FEBRUARIUS.

Barom.			Therm. Reaum			Venti.		
Dies.	alti.	med.	gradus medius.			manc.	meridie.	vesperi.
1	27 dig.	$9\frac{3}{4}$ lin.	—	o	$0\frac{1}{2}$ gradus	o	o	o
2	28 —	$1\frac{1}{2}$ —	+	o	$0\frac{2}{3}$ —	o	o	o
3	28 —	2 —	+	o	3 —	W. f.	W. m.	W. m.
4	28 —	$3\frac{1}{5}$ —	+	o	$4\frac{1}{5}$ —	W. m.	W. p.	W. p.
5	28 —	$2\frac{3}{4}$ —	+	o	$4\frac{2}{5}$ —	W. p.	W. p.	W. f.
6	28 —	1 —	+	o	$3\frac{2}{5}$ —	W. f.	W. f.	W. f.
7	28 —	1 —	+	o	$4\frac{1}{5}$ —	o	W. f.	W. f.
8	27 —	$9\frac{3}{4}$ —	+	o	5 —	W. f.	W. f.	W. f.
9	27 —	$8\frac{1}{4}$ —	+	o	$3\frac{1}{4}$ —	W. f.	W. f.	W. f.
10	27 —	7 —	+	o	$1\frac{3}{4}$ —	W. f.	W. f.	W. f.
11	28 —	$1\frac{1}{4}$ —	—	o	1 —	W. p.	W. p.	o
12	27 —	$10\frac{2}{3}$ —	+	o	$2\frac{1}{4}$ —	W. m.	W. m.	W. m.
13	27 —	$11\frac{2}{3}$ —	+	o	5 —	W. f.	W. f.	W. f.
14	28 —	1 —	+	o	$4\frac{1}{2}$ —	W. p.	W. p.	o
15	28 —	$0\frac{1}{2}$ —	+	o	$3\frac{1}{3}$ —	o	W. p.	W. p.
16	28 —	1 —	+	o	$4\frac{1}{2}$ —	W. p.	W. p.	o
17	28 —	$0\frac{3}{4}$ —	+	o	$3\frac{1}{4}$ —	o	o	o
18	28 —	3 —	+	o	$4\frac{1}{2}$ —	N. p.	o	W. p.
19	28 —	5 —	+	o	4 —	o	o	o
20	28 —	$4\frac{2}{5}$ —	+	o	3 —	o	o	o
21	28 —	$3\frac{1}{5}$ —	+	o	$1\frac{2}{5}$ —	o	o	o
22	28 —	$2\frac{1}{2}$ —	+	o	5 —	o	o	o
23	28 —	1 —	+	o	$4\frac{1}{4}$ —	o	o	o
24	28 —	1 —	+	o	$4\frac{1}{2}$ —	o	o	o
25	28 —	2 —	+	o	$4\frac{2}{3}$ —	o	o	o
26	28 —	$2\frac{1}{4}$ —	+	o	$4\frac{3}{4}$ —	NW. p.	NW. p.	o
27	28 —	$11\frac{1}{5}$ —	+	o	5 —	W. p.	W. p.	W. p.
28	27 —	$8\frac{2}{5}$ —	+	o	5 —	W. f.	W. f.	W. f.

Die 19 et 20 altitudo barom. max. = 28 dig. 5 lin.

Die 10 altitudo minima = 27 dig. $5\frac{1}{4}$ lin.

Die 2 et decima frigus max. = — o 2 grad.

Die 16. 23. 24. calor maximus = + o 7 grad.

Fri-

Frigus ineunte mense remisit subito: nix, glaciesque solutae sunt, coelum nubibus obductum, pluvia alternatim cadente ad duodecimam usque: aquae intumuere: a duadecima ad finem mensis usque aër serenus fuit et vernalis: multi dies calidi, tribus ultimis nubes, quandoque pluviae.

In nosocomium per hunc mensem admissi sunt aegri 42. Viginti quinque acuta febri affecti: ex reliquis septemdecim 4 febri hectica, 2 erysipelate, 1 dyarrhaea, 5 scabie, 1 scorbuto, 3 fluore albo, 1 cancro venereo. Mortuus est ex omnibus his quadragesimus secundus.

Febris mesenterica. Acutae febres omnes remittentes fuerunt inflammatoriae, gastricae, biliosa pituitosaque colluvie simul praesentibus.

Continuavit quidem febris prioris mensis: pectus tamen erat liberius, sed eo magis tota vis morbi in abdominis viscera desaeviit.

Aegri alternis plerumque diebus majorem et diutius durantem calorem experti sunt, sequenti nocte magis inquieta. Primis tribus quatuorve diebus vesperi accedebat horri-

horripilatio: calor paulatim erat intensior, versus matutinum tempus iterum remissus. Pulsus semper celer, parvus, contractus, vesperi celerior, major: caput pectusque sat libera, tussicula rara, respiratio in exacerbatione magna, celeris, alias naturalis; lingua muco albo tenui obducta, os pastaceum, amarum; saepe conamen vomendi cum flavicante muco linguam obducente, hypochondria tensa, saepe tumidula; dolores obscuri abdominis, tactu etiam rudiori nequidem aucti, alvus rara et fluida.

Progrediente febri lingua indies evasit impurior, muco magis flavo tecta: hypochondria magis tensa, calor continuus; septimaque die post nulla amplius remissio, pulsus parvus, celer, frequens, tremulus; collapsa facies, alia vultus forma rugis distincta, oculi tristes, inquieti: aeger ipse inquietus et anxius; urina semper limpida, alvus fluida, quandoque frequens, semper tamen fluida modicaque.

Morbus sibi relictus tertia septimana plerumque morte terminabatur. Paucissimi fuere, qui nona, undecima, decima tertia die, orta universali crisi per alvum per urinam et sudo-

sudorem morbo liberarentur. Mors eo certior erat, citiorque, quo infeliciori omine morbus in initio pro intermittente, post putrida febri habitus, cortice peruviano aliisve medicamentis adstrigentibus tractabatur. Ex purgantibus continuo datis idem vidi malum.

Manifesta erat febris mesenterica Baglivii, a colluvie impuritatum in abdomine, et inflammatione viscerum abdominalium nata.

Hac ratione venaesectiones saepe bis, ter, quaterve repetitae non tantum saluberrimae, sed et maxime erant necessariae; cum his conjugenda erant diluentia, leviter incidentia, eccoprotica. In nosocomio decoctum hordei copiose sumptum, cui unciam semis vel integram mannae, aut unam duasve arcani duplicati drachmas, in fibra scilicet irritabili mannam, in humorum vero tenacitate arcanum admiscueram scopo huic optime respondebat: nec erat, cur per integrum morbi decursum aliud medicamentum porrigerem.

Con-

Continuavi hoc medicamentum quotidie, imminui vero saepe, imo quandoque penitus omisi additam mannae, vel salis dosin, aegro scilicet alioquin alvum frequentem habente. Quodsi vero alvus bis, ter, quaterve per nicthemerum cum euphoria responderet, reliqui medicamenta laxativa ad finem morbi usque.

Sanguis extractus semper crusta tenui, alba, dura et contracta tectus erat, cruore firmo, sero copioso.

Saepe aeger post primam venaesectionem nullum dedit levaminis signum: pulsus erat continuo parvus, aeger magis anxius, invalescens febris. Inquietudo vero, dolor ille abdominis obscurus, manifestissimo vero argumento crusta sanguinis phlogistica medicum de latente inflammatione certum reddere poterant, et audacem ad secundam et tertiam venaesectionem repetendam. Lucrum sufficiens, cum morbus interdiu non accresceret. Multis tunc sexta modo, septimave die, aliis nona, undecima vel decima quarta criticus erumpebat sudor, spasmi feliciter soluti nuncius. Alvus nunc cocta, viridis, copiosa sequebatur, urina

tenuem prius nubeculam in medio vehens largum nunc et flavicans deponebat sedimentum, febri penitus remittente.

Nullus sic tractatus aeger mortuus est. In quadam aegra morbi vis cerebrum simul occupaverat: Erat ea caelebs viginti septem annorum. Mense Junio prioris anni febre biliosa inflammatoria laboraverat, a qua venaesectionibus et medicamentis diluentibus et incidentibus decima septima die liberata fuerat. Ab hoc tempore huc usque, uti et antea, sana mansit, menstruis bene, ordinateque fluentibus.

Secunda Febr. horrore absque ulla causa praecedente agitabatur et calore; noctu sudabat.

Tertia Febr. per diem alacris fuit, ore solum pastaceo. Vesperi eadem, qua heri, hora rediit horripilatio, calor sudorque cum vehementi cephalalgia in regione frontis et temporum.

Quarta: Mane os pastaceum, cephalalgia per diem continuans; hodie auxilium quaerit aegra. Conqueritur de lassitudine, oris pastaceo gustu et cephalalgia. Pulsus

parvus est, celer, et contractus; lingua muco albo obducta, abdomen tensum, facies pallida, oculi subinflammati, lucem non ferentes. Dedi ipsi unciam unam et semis salis amari in aqua soluti, et decoctum hordei cum aceto: alvus inde trina. Sub vesperum rediit calor, sed absque horripilatione et paulo remissior hesterno: sitis durante calore magna, noctuque parum sudoris.

Quinta: Cephalalgia mane adhuc major, quam heri; abdomen adhuc tensum, pulsus parvus, contractus, frequens; urina aquosa, loquela volubilis: labium Superius saepe mordebat aegra, utrumque novum id et insolitum. Venaesectione uncias duodecim eduxi sanguinis, crusta contracta tenaci alba tecti: porrexi decoctum hordei cum uncia mannae: vesperi exacerbata sunt omnia, calor major absque sudore, alvus quaterna fluida.

Sexta. Eadem: oculi rubri fixi, delirium, stupor; pulsus parvus, minus celer, 90. ictuum uno minuto; lingua alba, in cujus fundo flavicans haerebat mucus, de siti nulla querela; aegra tamen potum quemcunque sibi oblatum nunquam respuit. Ve-

naesectio iterum unciarum octo: sanguis idem. Delirium per aliquot horas inde minus: jacuit tamen adhuc continuo stupida. Vesperi cephalaea a vertice ad tempora descedens: delirium dein ferox, calor siccus. Continuatum fuit decoctum hordei cum manna; alvus ter per nicthemerum.

Septima. Eadem. Pulsus mane vix non erat naturalis, tardus, sed contractus, parvus; continuavi medicamenta: alvo nec noctu nec mane respondente enema dedi salinum, unde ter alvus fluida, pauca: vesperi omnia exacerbata; delirium continuum, ferocitas, furor, facies pallida, albugo oculorum ignea, pulsus velox, inordinatus, parvus. Sinapismos ad plantas pedum applicavi.

Octava. Delirium continuum, tussis sicca cum respiratione celeri, lingua muco albo dense obducta, sicca; hypochondria tensa, elata; pulsus ut heri irregularis, quandoque intermittens. Continuatum fuit decoctum hordei additis drachmis duabus arcani: Vesperi omnia adhuc magis exacerbata: tussis noctu frequens sicca.

Nona.

Nona. Sudor parcus, eneorema in urina: vesperi levior exacerbatio.

Decima. Delirium minus, tussis eo major, semper sicca, noctu sudor levis.

Undecima. Delirium continuo minus: alvus ter cocta biliosa. Decoctum hordei cum arcano indesinenter continuatum: vesperi brevis horripilatio sequenti calore sicco.

Duodecima. Calor siccus continuat, respiratio cita, tussis vehementior sicca, pulsus parvus, celer, mollis, minus irregularis: facies exhilarata, oculi naturales, delirium fère nullum amplius, stupor imminutus. Vesperi sudor et urina cum denso eneoremate: alvus per diem septies biliosa cum levamine, hypochondria inde mollescunt.

Decima tertia. Per diem iterum calor siccus, tussis vehemens sicca, cephalalgia, alvus bis fluida: cataplasmata emollientia calida pectori applicantur. Seposito sale additur uncia mannae decocto hordei, quod tepidum exhibebatur: nox inquieta.

De-

Decima quarta. Calor vehemens siccus, pulsus celer, parvus, inaequalis; lingua sicca, flavo muco obducta; sitis, horripilatio cum calore, abdomen iterum tensum. Continuavi hesterna medicamenta. Vesperi sudor et quies per integram noctem.

Decima quinta. Sudor continuus largus per integram diem: tussis minor, caput omnino liberum, abdomen molle; ter alvus copiosa, pultacea, biliosa; urina jumentosa, posito mox sedimento flavicante copioso; pulsus mollis, tardus, 60. ictuum in uno minuto. Prodierunt hinc inde e corpore et brachiis pustulae rubrae prurientes omni momento numerosiores.

Decima sexta. Sudor calidus continuat: tussis nulla, nulla cephalalgia, appetitus, nulla querela, nisi de magno exanthematis, verae scabiei pruritu; in brachiis enim digitorumque interstitiis innumerae propullulant prurientes scabiosae vesiculae: pustulae pectori insidentes et abdomini increscunt apice albo.

Decima septima. Sudor adhuc largus, urina sedimentum largum deponit, alvus

ter,

ter, lingua pura, abdomen molle, pulsus naturalis, corpus integrum pustulis scabiosis pro parte suppurantibus tectum. Hinc manna seposita aegrae nil dedi, nisi potum tepidum ex decocto malvae, et drachmas duas florum sulphuris per diem. Vires cito refectae sunt, manus vero brachiaque copiosissimis tumuerunt pustulis scabiosis.

An critica fuit scabiei eruptio, an potius recentis contagii progenies, nulla licet, quantum scio, occasione præsente?

Post vigesimam primam viribus sufficienter recuperatis aegra balneo sulphureo per aliquot dies immissa reconvaluit citissime. Nulla ulterior scabiei eruptio, praesentium pustularum brevis sanatio, sic ut sanissima sub finem mensis e nosocomio dimitti posset.

Historiam hujus aegrae paulo fusius narravi, propterca quod inde morbi grassantis genius optime perspici possit; licet phrenesis mox ab initio, pectoris item affectio in decursu morbi obortae anomaliam quandam effecerint.

Foe-

Hepatitis.

Foemina hepatitide laborans iu nosocomium adfertur. Laboraverat priori anno bilioſa, a qua sanata optime valuit.

14. Febr. absque causa sensibili horripilationes experiebatur et subsequentem calorem, dolebat simul ex hypochondrio dextro: nox inquieta fuit et insomnis, cum magno hypochodrii dolore.

15. Calor erat intensus, siccus, oculi flavi, dolor hypochondrii enormis, tactu auctus; pulsus frequens, celer, durus, lingua muco albo tenui obducta, os amarum pastaceum. Venaesectione sanguinis unciae duodecim educuntur: exhibetur vasculatim uncia salis sedlizensis in libra aquae singulis horis sumenda; praeterea decoctum hordei cum oximelle pro potu. Sanguis crusta densa phlogistica tectus fuit: quater alvus copiosa sequebatur: nox erat insomnis.

16. Eadem. Color ictericus totius corporis; vera hepatitis. Aegra haec videbatur mihi praebere occassionem experiundi inunctiones unguenti mercurialis. A die hodierna bis indies drachma hujus unguenti inungi coep-

coepta est in hypochondrio dextro, ubi dolorem sentiebat. Interne dedi decoctum radicis salep.

17. Noctu somnus septem horarum tranquillus cum multo sudore; alvus quater biliosa pultacea. Color ictericus, et dolor hypochondrii omnino disparuerant. Pulsus mollis, elatus, paulo celerior naturali: inunctio ut heri.

20. Integre sana est, et appetit. Febri omnino cessante, agram biduo adhuc unguento neopolitano inungi jussi.

En hepatitidis sanationem unguento neapolitano peractam, nec leve argumentum ad confirmandam hujus medicamenti in hepatitide virtutem, a multis nunc medicis affirmatam. Hinc sane videtur, ut ulteriora illius experimenta capiamus, dignissimum.

Sic cogitavi, dum hanc observationem finieram. Altero mox mense ea ipsa aegra novam mihi praebuit experiendi occasionem, experimento vero minus felici.

Af-

Afferebatur in nosocomium secunda morbi die, iterum laborans hepatitide cum dolore vehementi hypochondrii dextri, pulsu celeri, duro; colore icterico, aestu.

Sanguine per binas venaesectiones educto, et alvo decocto mannato purgata, locum dolentem mox inungi curavi unguento mercuriali.

Altera die post noctem inquietam auctus fuit morbi furor. Cutis intensius flava, et sicca; lingua arida, et dolor hypochondrii vehementissimus cum pulsu celerrimo, duro. Inunctiones tamen continuavi ad vesperam usque, exhibito simul decocto emolliente nitroso.

Omni momento malum serpebat latius; et vesperi inflammatio summum attigisse gradum videbatur, jamjam abitura in suppurationem, vel gangraenam, nisi evacuante et diluente methodo eam compescerem.

Seposita ergo ulteriori inunctione mercuriali, sanguinem ad uncias quatuordecim eduxi, cataplasmata calida emollientia loco dolenti applicui, omni bihorio clysma emol-

emolliens injici curavi, usu interno decocti emollientis nitrosi continuato.

Aegra brevi levamen sensit a mutata medendi methodo; nox fuit paulo pacatior. Altera die cutis satis madida, lingua humida, dolor vero hypochondrii adhuc magnus. Iteratur venaesectio, crusta larga, ut prius, sanguinem tegebat; Levamen a venaesectione. Binis adhuc vicibus sanguis educendus erat, continuatur usus emollientium.

Quinta morbi die sudor copiosus erupit continuans. Sexta mane urina largum deposuit sedimentum flavicans, et alvus quater pultacea biliosa excreta est. Dolor mane omnis abiit, cute pallidiori.

Septima die aegra febri omni caruit, sanaque mansit absque recidiva.

Si hanc morbi historiam cum priori conferimus, justum oritur dubium, sitne prioris morbi sanatio inunctioni mercuriali tribuenda; an potius morbi ipsius levitas sanguinis eductione et medicamento emollienti cesserit, nullo respectu ad inunctionem habito.

Al-

Altera sane observatio inunctionis mercurialis inefficaciam clare demonstrat, certoque certius hepatitis in suppurationem vel gangraenam vel scyrrhum abiisset, si ejus usum ulterius continuassem.

Edocemur inde, inflammationem cujuscunque partis omnium optime sanari methodo usitata antiphlogistica et evacuante, quam ratio docet, et experientia confirmat.

Mortui hoc mense in Civitate 1153.

MAR-

	Barom.	Therm.	Venti		
Dies.	alti. med.	gradus medius.	mane.	meridie.	vesperi.
1	27 dig. $8\frac{2}{3}$ lin.	+ o 2 gradus	W. p.	W. p.	W. p.
2	27 — $11\frac{1}{2}$ —	+ o $0\frac{1}{4}$ —	N. p.	N. p.	N. p.
3	28 — $0\frac{2}{5}$ —	+ o $0\frac{2}{5}$ —	N. m.	N. p.	N. p.
4	27 — $9\frac{1}{3}$ —	+ o $3\frac{1}{4}$ —	o	o	o
5	28 — $1\frac{1}{2}$ —	+ o $0\frac{3}{4}$ —	N. p.	N. p.	N. p.
6	28 — $2\frac{3}{4}$ —	— o $0\frac{1}{2}$ —	N. p.	o	N. f.
7	28 — $1\frac{1}{4}$ —	+ o 3 —	o	W. m.	W. m.
8	28 — $2\frac{3}{4}$ —	+ o $2\frac{3}{4}$ —	N. p.	N. m.	N. p.
9	28 — $1\frac{2}{3}$ —	+ o $4\frac{2}{3}$ —	o	W. p.	W. p.
10	27 — 10 —	+ o $5\frac{1}{3}$ —	o	o	o
11	28 — o —	+ o 6 —	o	N. p.	o
12	28 — 4 —	+ o $5\frac{2}{3}$ —	o	N. p.	o
13	28 — 4 —	+ o $5\frac{1}{4}$ —	o	o	o
14	28 — $0\frac{1}{4}$ —	+ o $5\frac{1}{2}$ —	o	W. p.	W. m.
15	27 — $11\frac{3}{4}$ —	+ o 4 —	o	NW. p	N. p.
16	28 — $3\frac{1}{4}$ —	+ o 3 —	N. p.	N. p.	o
17	28 — $3\frac{1}{2}$ —	+ o $3\frac{1}{2}$ —	N. p.	N. p.	N. p.
18	28 — 1 —	+ o 4 —	N. p.	o	W. p.
19	28 — $1\frac{1}{4}$ —	+ o 5 —	o	o	o
20	28 — 3 —	+ o $5\frac{1}{2}$ —	o	o	o
21	28 — $3\frac{3}{4}$ —	+ o $7\frac{1}{4}$ —	o	o	W. p.
22	28 — 3 —	+ o $7\frac{3}{4}$ —	S. p.	S. p.	S. p.
23	28 — $1\frac{1}{3}$ —	+ o $8\frac{1}{5}$ —	S. m.	S. m.	o
24	27 — $11\frac{1}{4}$ —	+ o $8\frac{1}{4}$ —	o	o	o
25	27 — 11 —	+ o $9\frac{1}{3}$ —	o	o	o
26	27 — $10\frac{1}{4}$ —	+ o $8\frac{1}{4}$ —	o	o	o
27	27 — 10 —	+ o $10\frac{1}{2}$ —	o	SSO. p.	S.S.O. p.
28	28 — $0\frac{3}{4}$ —	+ o $7\frac{2}{3}$ —	SS.O. p.	SSO. p.	S.S.O. p.
29	28 — 1 —	+ o $3\frac{1}{2}$ —	SS.O. p.	SSO. p.	o
30	27 — 11 —	+ o 4 —	o	o	o
31	27 — $9\frac{3}{4}$ —	— o $0\frac{2}{3}$ —	o	N. m.	N. p.

Die 12 et 13 barometri altitudo maxima = 28 dig. 5 lin.
Die 1 altitudo minima = 27 dig. $7\frac{1}{2}$ lin.

Diffe. = — dig. $9\frac{1}{2}$ lin.

Die 31 frigus maximum = — o 3 grad.
Die 27 calor maximus = + o 14 grad.

Summa = — o 17 grad.

Pri-

Primi dies ad quintum usque frigidi humidique erant nive et pluvia copiose cadentibus. A quinto vero per integrum mensem non interrupta risit serenitas, nulla nebula, nulla nube apparentibus.

In nosocomium hoc mense 48 aegri suscepti sunt. Media eorum pars acute laboravit. Ex aliis quinque febre hectica, sex scorbuto, sex scabie, duo lue venerea, una erysipelate, ophtalmia altera, duae gravidae, et una gangraena pedum affecti fuerunt. Mortuus ex his vigesimus quartus.

Febrium mesentericarum continuatio,

Morbi hujus mensis acuti perrexerunt esse inflammatorii generis cum biliosis cruditatibus; rheumata mitiora, quidam etiam morbi pituitosi, et biliosi puri. Mense vero adulto vernales quotidianae mitioris indolis febres, paucorum dierum cursu sola diluente methodo absolutae.

Videbantur hyemales febres connecti cum aestivalibus; unde inflammatio bilis acrimoniae juncta erat: haec enim non desiit primas infestare vias, acri bile et pituita turgentes.

Fefellit morbi initium remissione, amaro gustu, lingua impura: ast latuit inflammatio tanto vehementior, quanto mitiora

initio monstraverat symptomata, durante morbo in nervum erumpentia.

Nulla vero sine primarum viarum cruditatibus aderat phlogosis: unde duplex medicationis scopus instituendus erat.

Venaesectione extractus sanguis crusta densa et compacta semper tectus erat; ideo principem sibi postulavit locum venaesectio, saepe ter, quaterve repetenda. Hac enim neglecta, morbus invaluit, gangraena vitae finem cito faciente.

Mera emollientia morbum in longum protrahebant, nec biliosam infringebant acrimoniam, pituitam vero augebant: unde phlogosis perstitit, in putridam saepe diathesin degenerans.

Emetica parum vel nihil praestiterunt: nil enim inde excretum est praeter aquam, vel ingesta. Materies in intestinis haerebat profundius, unde tormina et meteorismus. A fortioribus purgantibus augebatur inflammatio.

Diluentia copiose sumpta tamarindis, mannave, et parva salis quantitate acicurata, plerosque restituerunt. Bi

Biliosa colluvies per alvum educenda his in febribus primarius morbi exitus fuit, non vero simul, nec semel, sed paulatim, et repetitis vicibus expellenda, cum novum indies continuata coctione nasceretur excrementum.

Nulla initio educebatur materies, crudo adhuc existente morbo, spasmoque inflammatorio vasorum ora constringente. Inflammationem vero cum venaesectionibus, continuatisque sedassem diluentibus, septima, nona et sequentibus diebus alvus aperiebatur; et quae prioribus diebus fere nihil effecerant medicamenta, nunc octies et pluries per diem purgarunt, exeunte per alvum foetida viridique pulte.

Frequentes in his febribus cephalalgiae, tusses siccae dolentes, laterumque dolores, simul et abdominis intumescentia.

Vir quinquagenarius a decima octava ad vigesimam primam Martii continuas perpessus horripilationes et calores, caput obtusum sentit et pectus anxium. Sudat vigesima secunda cum levamine, unde absolutam febriculam rheumaticam credit: sed noc-

noctu insomnia terrifica: vigesima tertia caput magis obtusum est: accedit tussis sicca, dolens; dolor abdominis nunc magis intumescentis, lingua impura est, rubent oculi faciesque, et pulsus celeriter et compresse vibrat. Crustaceus sanguis venaesectione eductus aliquantum affert levaminis, sed quatuor horis post omnia, ut prius.

A purgante salino alvus copiosa, et major hypochondriorum inflatio. Iterata venaesectione, abdominis subsidentia et anxietas minor.

Vigesima quarta vesperi exarcerbatio, abdomen tensum, inflatum: venaesectio fit unciarum decem crustaceo sanguine: noctu insomnia terrifica, et post somnum

25 Martii Dolor capitis pulsans per tractum ductus falciformis: tussis sicca, pulsus subdurus, celer: sanguinis crustacei unciae decem educuntur.

26. Dolor capitis maximus praecipue post somnum: vesperi alvus ter cum flatibus, sudor levis, noctu minor anxietas.

BOSTON MEDICAL
OCT 16 1922
LIBRARY

27. Eadem. Oppreſsio, tuſsis, et cephalaea cum meridiana febris exarcerbatione: iteratur venaesectio: sudor post, et alvus laxa.

28. Cephalaea post momentaneum somnum vehementiſsima, cedens venaesectioni in pede administratae: nox pacata cum sudore; alvus bis; hypochondria mollia.

29. Pulsus mollior, celeriter adhuc vibrans: meridie cephalaea maxima, sudore vesperi oborto fugata: sudor integra nocte cum alvo cocta biliosa ter excreta.

30. Apyrexia: meridie febris cum cephalalgia, alvo cruda dyarrhaeica.

31. Mane horripilatio, dein calor sudorque levans cum alvo cocta: vesperi iterum exarcerbatio, calor siccus, alvus ter cruda.

1. Aprilis. Mane horripilatio, dein calor et sudor levans, meridie iterum horripilatio, vesperi sudor largus, nox tranquilla, alvus quater cocta.

2. Apyrexia.

3. Meridie horror, vesperi calor, noctu sudor, alvus quinquies cocta biliosa.

4.—8. Continui adhuc febriles motus, alvus frequens cocta biliosa, et urina hucusque semper tenuis sedimentum deponit lateritium.

Depurationem numeris omnibus absolutam probavit ex integro restituta sanitas.

Aeger hic per totum morbi decursum quotidie absumpsit libras duas decocti graminis, in quo uncia una et dimidia pulpae tamarindorum fuerat soluta, atque decoctum hordei cum aceto rubi idaei copiosum pro potu. A trigesima Martii vero febri nunc manifestius remittente, decocto graminis admiscui unciam semis salis mirabilis Glauberi, ut cocta nunc et soluta morbi materies per alvum eo facilius excerneretur.

Non omnibus vero eadem fuit morbi benignitas: multorum enim vires quarta quintave die, mutata rerum facie, colla-

bebantur, et morbus putridae febris indolem induebat, dolore omni evanescente.

Aegri hi vultum rubescentem perdebant subito, facie tristi plumbeaque moerentes, vigor pulsus collabebatur, ad continuum delirium accedebant tremulae manus, subsilientesque musculi.

An acre morbificum intimius resorptum nervorum conditionem immutavit sanguinemque dissolvit? an potius acri non cooperante, ordinarius hic fuit morbi decursus?

Vidimus medios inter sopores, nervorumque tremorem, cum natura arte adjuvaretur, crisin praeparari, et diebus aliquot post tenacem hucusque massam per alvum, sudorem, urinamque excerni, sanitate restituta.

Adjuvanda vero natura fuit. Arte deficiente, vel perversa, morbus morte terminabatur Stimulo opus fuit ad excitandas vires; Saepe et robore, ad flaccidam solidorum compagem firmandam.

In-

Interim transitus nimis praeceps a remediis antiphlogisticis ad roborantia noxius fuit. Percepta morbi mutatione, salina remedia extemplo seponenda erant, et leniter stimulantia diluentibus addenda. Quaedam camphorae grana optime huic scopo respondebant.

Sub horum usu, si vires continuo magis adhuc collaberentur, si gangraenosus corporis habitus appareret, stimulantium dosis augeri, hisque adjungi roborantia fortiora conveniebat, nullo nunc amplius ad colluviem primarum viarum respectu.

Ipso enim sub usu roborantium vidimus denuo juvari interruptam morbi coctionem, et cruditates in abdomine cumulatim collectas expelli, crisi perfecta per alvum, sudorem, et urinam morbum feliciter terminante.

Duae puellae eodem tempore hac febri laboraverunt, initio peripneumoniaca, quarta dein die in putridam transeunte.

Altera vinginti annorum florens puella a sex modo mensibus menstrua sponte remanentia desiderans.

Vi-

Vigesima octava coepit febricitare praecedente horrore, duabus horis durante; paulo post tussis dolens, punctorius dolor lateris, cephalalgia vehemens, pulsus celer, durus, vibrans: venae sectione ter facta sanguis educitur crustaceus cum levamine: exhibitum contenuatumque decoctum hordei cum nitro et manna, unde alvus quotidie bis terve biliosa: pectus sensim liberum, sed cephalalgia non destitit aegram affligere.

1. Aprilis. Vires deficere cœptae, facies mutari in turbidam torvamque, colorque roseus genarum in fuscum abire limitatum: querela de malo quodam nulla amplius, ne de cephalalgia quidem; delirium mutum, somnus comatosus, subsultus tendinum, pulsusque celer, mollis, undulosus; lingua pura. Ilico exhibita fuit camphora ad grana duo omni bihorio cum nitri granis quatuor, et pro potu decoctum hordei cum aceto datum.

2. Noctu sudor: pulsus tardior, mollis, vacuus; alvus bis: cetera ut heri.

3. Sudor continuat nunc copiosior, pulsus elevatur parum, facies coloratur jucundius, subdelirium, subsultus nulli, somnus minor.

4. Continuus sudor cum levamine omnium symptomatum: alvus bis per diem: continuatur camphora et decoctum hordei.

5. Vires eriguntur: appetitus redit, sudor noctu, isque in quiete levans, pulsus tardior, elatus, urina lateritia.

Per duos adhuc dies urina sedimentum habet lateritium cum sudore continuo levante: vires cito increscunt.

Nona Aprilis medicamentis abstinens, carnem comedere coepit. Decima tertia nosocomio veledicit.

Altera erat viginti duorum annorum.

26. Martii inopinato concutitur horrore, dolet e latere dextro, affligitur tussi sicca frequente: calor subsequitur vehemens cum cephalalgia et dolore lateris, adeo invalescente, ut vix inspirare

rare posset: pulsus creber, vibrans, durus: venaesectione facta cum levamine sanguis educitur crustaceus: vena iterum iterumque secta, sanguis semper idem: exhibita sunt diluentia eccoprotica nitrosa; cataplasma emolliens pectori applicatum.

30. Doloris imminutio, respiratio facilior, tussis minor, pulmonum subsidentia; sed aucta quovis momento virium dejectio, facies sensim pallida, turbida, gangraenosorum; delirium, subsultus tendinum, abdominis tumescentia, pulsus flaccidus, miurus, inordinatus.

In hoc rerum statu mutata in gangraenam phlogosi, sepositis diluentibus hucusque datis dedi decoctum corticis peruviani et camphoram, ut omni bihorio uncias duas decocti corticis in libris duabus aquae incoctas atque camphorae grana duo absumeret.

31. — 1. et 2. Apr. perduravit putridi morbi furor, delirium continuum, sopor, subsultus totius corporis, facies collapsa, pulsus mollis, flaccidus, inordinatus: pectus nunc sanum, nulla tussis ampli-

plius, sed lingua indies copiosiori albo flavicante muco obducebatur; continuatis interim largiore quidem dosi antisepticis excitantibus remediis, ita ut a prima Aprilis scrupulos duos camphorae et uncias quatuor corticis in decocto per nicthemerum absumeret.

Nona morbi die sudor erupit copiosus cum alvo dyarrhaeica biliosa, quarta, quintaque Aprilis continua, imo per hos dies trigesies et ultra seposita. Reconvalescens cito vires recuperavit. Decima nona Aprilis ad conſuetos labores abiit.

Quid excitata febri natura possit, casus sequens edocet:

Vir 47 annorum scorbuto per medium nunc annum paulatim aucto infectus, rigidis artubus laxisque gingivis sanguinem fundentibus, lividis latisque maculis toto corpore dispersis, circa medium Martium febri afficitur continua, cum tussi, dolore pectoris in respiratione aucto, respiratione ipsa celeri, difficili, pulsuque frequenti celeri, molli.

Scorbutus febre sanatus

Cum

Cum aeger hic de dissolutione scorbutica nullum relinqueret dubium atque hinc generosiorem antiphlogisticam methodum non solum fore inutilem, sed certe nocituram constaret, dedi solum decoctum malti cum pulveris calami aromatici drahma per diem.

Altera die malum non auctum: quarta sudor tepidus, respiratio facilior, tussis minor, artus mobiliores: quinta, sexta et septima continuavit transpiratio major cum perfecta febris et peripneumoniae abolitione: rediit appetitus, atque continuato per tres septimanas decocti malti et calami aromatici usu, aeger scorbuto omnino liberatus est, gingivis firmatis, artubus sanis, maculis evanescentibus.

In alio peripneumoniaco mirum vidimus phoenomenon. Erat homo 32 annorum corporis athletici, nunc vero continuo leguminum usu et carceris squalore pallidus, et cachecticus, initio Martii vehementer febricitat peripneumonia affectus: Pulsus celer, durus, elatus; venaesectione in brachio dextro instituta exsilit sanguis crustaceus, medio in cursu consistens subito. Quid

Quid rei impediat cursum respiciens, distraho parum vulnusculum, et ecce globulus piso minori similis exsilit, sanguine iterum effluente. Erat globulus cruor sanguinis compactus, sat durus. Aeger hic sanitati restituebatur continuato decocto hordei cum oximelle simplici et cremore tartari.

Interim per aestatem invadunt illum frequentes catarrhi, subitaneae vocis raucedines, pedum oedema, anasarca, et mense julio hydrothorax.

Ex omnibus, quae ipsi exhibebantur, remediis, optime tulit cremorem tartari cum extracto lactucae virosae, imo saepius integra sanitate frui videbatur. Ast rediit continuo malum remedio pertinacius, tandemque lethale. Mors undecima Augusti.

Cadavere aperto cavum pectoris utrumque libras quinque seri flavi continuit; pulmones ambo in tota sua substantia scyrrhosi fuerunt, pluribus in locis vomicas continentes: pericardium seri libra una semis turgidum; cor dextrum, auricula dextra, et vena cava plures habuerunt compactos ſanguinis grumos, quorum unus non minor ju-

juglande fuit: sinistrum cor vacuum; abdominis viscera sana, liene et hepate minus solito consistentibus.

An globulosus cruor hic in vena natus?

Phthisis scorbutica

Felicior evasit alius phthisi affectus. Hujus gingivae fuerunt flaccidae, sanguinolentae, artus a multo nunc tempore rigidi, et pallor faciei terreus cum pustulis rubris, fuscis, lividis. Sensim tussitare, anhelare, expuere pus foetidum, et sanguinem congrumatum coepit: pulsus micuit celeriter, vix perceptibilis prae mollitie, febris hectica pomeridionalis cum rubore genarum limitato, fugaci. Praeter decoctum malti, quod copiose sumpsit, camphora fuit exhibita a granis 2 ad 20; lenimen inde in respiratione et tussi, facilior expectoratio et copiosior, atque imminutum seorbuti incrementum: ast ſebris substitit, vires solidorum dejectae. Cortex peruvianus 2. Apr. exhibitus anxietatem quidem et sputa cohibuit, sed febrim auxit.

Hinc sexta Aprilis ad priora remedia recursus, addito kermete. A 12 Apr. ad 20 urina cum sedimento lateritio copioso; fe-

febris immiuutio, cessatio; tussis nulla, commoda respiratio, sputa minora, sensim puriora mucosa. Decoctum malti continuatum cum pulvere calami aromatici aegrotum pristinae sanitati restituit. Mense Augusto sanus nosocomio exivit.

Memorabilis a perfrigeratione ortus et aqua gelida pro maxima parte sanatus hic locum meretur sphacelus. Sphacelus a perfrigerio

Undecima deportatur ad nos puella sphacelo pedis sinistri orto a congelatione sexta Martii affecta.

A malleolis ad digitos usque tarsus et metatarsus una cum planta pedis nigerrimi sunt: cutis caroque frigidissimae, acu etiam punctae non dolent. Calidiori nunc coelo nivem frustra quaero: hinc immitto pedem in aquam frigidam, cui glaciem e cella glaciali receptam indideram, et eam diu noctuque in hac aqua retineri jussam, saepe saepius aqua frigida, glacieque, quotiescunque aqua prima tepesceret, recenter affusis, balneo.

Altera die nigredinem malleolorum in rubrum mutatam colorem invenio: Die

quarta tarsus rubet albescentibus malleolis modo sanis; sexta metatarsus rubet ad digitos usque: septima separationis ac suppurationis linea circum omnes apparet digitos huc usque nigerrimos, laetius interim rubente metatarso et albo sanoque tarso. Continuatur igitur pediluvium aqnae glacialis pertinaciter: duodecima nigra utriusque minoris digiti epidermis sponte separatur, dum cutis inferior sana est, et rubicunda. Ast superior digiti medii phalanx separatus os nudum monstrat, digitique dolent in frigida.

Medelam permuto invitus: deligantur nunc partes gengraenosae unguento de styrace, fomentanturque decocto corticis. Tres digiti reliqui suppurant, phalanges superiores suppuratione soluti decidunt, et sanatio in longum protrahitur. Tarsus vero et metatarsus, digitique duo minores persstiterunt sanissimi.

Mortui hoc mense in civitate 1322.

APRI-

Dies.	Barom. alti.	med.	Therm. gradus medius			Venti. mane.	meridie.	vesperi.
1	27 dig.	11¼ lin.	+	0	0 gradus	N. p.	N. p.	N. p.
2	27 —	10½ —	+	0	0¾ —	—	—	—
3	27 —	9¾ —	+	0	0⅕ —	—	—	0
4	27 —	9¼ —	+	0	3⅖ —	0	—	N. p.
5	27 —	11 —	+	0	0½ —	N. p.	—	—
6	27 —	11 —	+	0	1¾ —	0	0	0
7	27 —	9¾ —	+	0	2⅓ —	N. p.	N. p.	0
8	27 —	8 —	+	0	3⅔ —	0	0	0
9	27 —	7 —	+	0	6½ —	0	S. p.	S. p.
10	27 —	4⅔ —	+	0	10¼ —	0	0	S. f.
11	27 —	3 —	+	0	13 —	S. m.	S. m.	0
12	27 —	4½ —	+	0	13⅓ —	0	S. p.	S. m.
13	27 —	7 —	+	0	12¼ —	0	W. p.	0
14	27 —	8½ —	+	0	12⅔ —	0	S. m.	0
15	27 —	8¾ —	+	0	11⅖ —	0	S. p.	0
16	27 —	6¾ —	+	0	13 —	0	—	W. p.
17	27 —	7½ —	+	0	10¼ —	W. p.	NW. p	—
18	27 —	7½ —	+	0	6⅓ —	—	0	0
19	27 —	8⅖ —	+	0	3¾ —	N. W. p.	N. p.	N. p.
20	27 —	10¾ —	+	0	2 —	N. p.	N. p.	N. p.
21	27 —	11¾ —	+	0	3⅓ —	—	—	—
22	27 —	11⅓ —	+	0	5 —	—	—	0
23	27 —	10 —	+	0	8 —	0	0	0
24	27 —	8 —	+	0	11¼ —	0	0	0
25	27 —	7 —	+	0	11¼ —	S. O. p.	0	0
26	27 —	6⅓ —	+	0	12 —	—	0	0
27	27 —	7 —	+	0	12⅔ —	0	0	N. p.
28	27 —	8¼ —	+	0	12 —	N. p.	0	0
29	27 —	8⅓ —	+	0	13⅓ —	0	0	0
30	27 —	7¾ —	+	0	12¾ —	0	0	0

Die 21 altitudo baromet. max. = 28 dig. 0 lin.
Die 11 altitudo minima = 27 dig. 3 lin.

Diffe. = 0 dig. 9 lin.

Die prima frigus maximum = — 0 2 grad.
Die 12 calor maximus = + 0 17½ grad.

Summa = 19½ grad.

Sic-

Siccitas continua per integrum mensem, primum diem si exceperis, quo multa nix cecidit.

Grassatae sunt hoc mense febres intermittentes varii generis et ordinis, tertianae simplices et duplicatae, quotidianae simplices anticipantes irregulares, praeterea febres complicatae inflammatoriae cum glutinosa saburra in ventriculo, intermittentium naturam brevi adoptantes, omnes cum urinis sedimentum lateritium cito deponentibus.

Intermittentes

Intermittentes solventibus et salinis facillime cedebant post quintum, sextumque paroxismum et ultra, rarissime tamen vidi nonum.

Ex omnibus intermittente affectis unus, isque adolescens cortice indiguerat. Antea laboraverat colica rheumatica; sanatus inde, subito vehementissimis cruciatur doloribus colicis, delirat, ardet totum corpus, riget, stupetque: pulsus celer durus; post duas horas adrepit somnus cum sudore largo: surgit post somnum octo horarum sat alacer; urina largum deponit sedimen-

dimentum lateritium: cum lingua esset crusta alba obducta, oculique parum flavecerent, suspicatus, hesternum morbum fuisse paroxismum intermittentem, dedi ipsi extractum graminis cum sale polychresto, et rheo, ut primas purgarem vias a fomite frequentissimo intermittentium: alvus inde copiosa: hilaris mansit aeger integra die: nox quoque pacata erat: sed tertia die mane priora redeunt mala, vehementissimi denuo dolores colici, delirium, furor, oculi scintillantes, sanguine suffussi, dein rigor totius corporis, quem denique somnus et sudor copiosus exceperunt.

Altera die aeger, praeterquam quod valde debilis esset, bene se habuit, pulsu pacato, tardo, molli. Metuere coepi aegro, ne novus eum tolleret insultus, ad cujus vim coercendam extemplo porrexi corticem peruvianum ad unciam unam cum drachma rhei et salis polychresti drachmis duabus apyrexiae tempore absumendum.

Ingruit tertia nocte anticipans paroxismus multo nunc lenior: frigus leve, dein aliqui dolores colici, brevi sudor cum som-

no, nullum delirium, nullus corporis rigor, nulla nervorum affectio praeter colicos dolores. Brevi pacatus paroxismus. Nulla amplius febris: idem datur medicamentum per 8. adhuc dies, dosi sensim minori. Liber omni morbo hucusque vivit sanissimus.

Febres remittentes

In plurimis remittentibus cephalalgia vehemens aderat cum pulsuum duritie, qui simul inordinate celeriterque subsiliebant, etiam remissionis tempore: quidam eorum de laterum doloribus coquerebantur tussientes cum sputo pituitoso, tenaci, sanguineis quandoque striis interspersо.

In hujuscemodi aegris venaesectio una vel altera mitigavit morbi vehementiam: continuato deinde salinorum et eccoproticorum usu febris magis magisque remisit, apyrexiam fecit pleniorem, tandemque in mitem abiit intermittentem, urina a septima die modo lateritia. Die plerumque undecima febris extirpata penitus, gaudente nunc aegro meliori, quam unquam prius, sanitate.

Ea-

Eadem vero febris minus caute tractata exacerbabatur vehementius, haemorrhagiis variis, pulsu viribusque collabentibus, delirio feroci cum dissolutione gangraenosa, et petechiis, atque mors paulo post ut plurimum pulsabat ad fores.

Praeter has febres inflammatorio saburrales vera febris putrida plurimos corripuit et in civitate et ruri, ita ut consilium aulicum facultatem medicam hac super epidemia consuleret. Febris putrida epidemica

Quos ego sanandos habui, per aliquot dies dedolationem patiebantur, nullius cibi appetentes, ore non amaro, cum pulsu molli, celeri, facie livida, oculis tristibus caliginosis, per 3. 4. pluresve dies lassi circumeuntes, consueto tamen labore fungentes: tandem dedolatio indies accrescens aegros lecto affixit. Horripilationem per aliquot dies senserunt fugacem, horror dein major per tres quatuorve horas et ultra duravit, quem calor excepit minus vehemens: imo prima integra die, etsi naturaliter se calere sentirent, attamen manum non nudabant tegmine, quin frigescere reinciperent; nulla querela, nisi de dedolatione maxima:

caput erat obtusum; dormiturientes vigilabant continuo, oculis magis magisque caliginantibus aeque ac facie contracta, ita ut tristes, morosi, imo profunde meditari viderentur, animo interim ad stupiditatem usque tranquillo: Sitiebant ore sicco, non multum amaro, lingua erat pura, in medio flavo griseo muco obducta, pectus liberum, quandoque anxia respiratio per aliquot horas durans, dein sponte liberior, hypochondria mollia, alvus naturalis, pulsus celeres, molles, flaccidi: cutis tangentem urebat eo acrius, quo diutius attingebatur.

Petechiae copiosae latae livescentes toto corpore secunda, tertia, quarta die erumpebant: oculi rubicundiores, caput obtusum magis, delirium leve, mutum, pulsus celeres, molles, flaccidi. Tertia, quartave die plurimos haemorrhagia narium consolabatur, unde caput liberius, oculi magis naturales.

Die quinta, sexta, et septima alvus fiebat dyarrhaeica cum levamine: die denique septima urina hucusque cruda et limpida turbari coepta, tandem deposuit sedimentum albo rubrum, madebat arida hucus-

usque cutis, ingensque illius humide nunc et aequaliter perspirantis ardor erat remissior.

Petechiae a quinta die rubicundiores, jam pallidiores, minores volumine, numeroque pauciores, posteaquam cutis coepisset madescere, tandem evanuerunt omnino, alvo adhuc manente dyarrhaeica.

Durarunt criticae hae evacuationes ad nonam usque diem: cum febris a septima magis mitigata, omnino abiret: pulsus nunc elati aequaliter, tarde micabant, caput erat liberum, hilaris animus ob elongatam mortem, appetitus rediit.

Morbus hic tam atrox tamque periculosus tum felicissime crisin perfectam attingebat, cum sibi fere soli relictus, nullis a medico adjumentis perturbaretur; e contra in horrenda erupit symptomata, in deliria, furores, subsultus, meteorismum, gangraenamqne lethalem, cum medela sic dicta antiseptica, adstringente et stimulante febris orgasmo sanguinis excitato augeretur.

Cum primae viae ab initio sat purae essent, et acrimonia febrim hanc excitans

po-

potius in sanguine latere videretur, dedi statim ab initio decoctum lene diluens cum acido grato vegetabili. Plurimis dedi decoctum hordei cum aceto rubi idaei: isthoc decoctum continuavi indies abdomine molli, pulsu molli, nec nimium celeri, nec omnino vacuo. Hinc nil credidi mutandum esse; cephalalgiam, dedolationem, anxietatem febrili motui, qui hac ratione acre morbosum subigeret, tribui; adstantibus, qui aegrum neglectum existimabant, ad unum quodque symptoma proprium remedium frustra petentibus.

Orta vel narium vel alia haemorrhagia, prioribus acquievi; nec poenituit: cephalalgiam enim, somnolentiam, et delirium inde mitescere, et oculos hucusque tortuosos in naturalem redire statum, cum gaudio vidi.

Accedente dyarrhaea, nil iterum in medicamentis novi; quamdiu vires sufficientes, febris ordinata, moderate procedens, pulsusque aequalis regularis id mihi suadere videbantur.

Post septimam vero diem, cum urina turbidior, alvus dyarrhaeica, mador cutis,

e-

ejusque minor aestus imminentem crisin indicarent, vitaeque vires post tot dierum turbas vacillare viderem, pulsu jam debiliori, celeriori, saepe et inaequali, dedi ad vires refocillandas mixturam ex drachmis duabus extracti corticis cum granis quatuor, sex, vel decem camphorae. Hoc medio criticae evacuationes per alvum, urinam et cutis poros tam abunde, tam subito exonerabantur, ut circa nonam diem morbus perfectae sanitati locum faceret; et, quod mireris, reconvalescentium vires mea ipsius opinione celerius recuperarentur.

Morbus hic petechialis nil commune habuit cum febri stationaria; nec ab aëris constitutione sicca et aquilonari putrida dissolutio repeti potest: tantum enim abest, ut eam producat, ut potius infringat praesentem: inde forsitan fluit benignus ipsius decursus, cum sibi relictus adjutrice manu vix indigeret. Unde ergo hoc tempore febris illa petechialis?

Pars exercitus imperialis e bello turcico jam redit in Austriam: milites morbis putridis castrensibus affecti in angustis rusticorum tuguriis decumbunt, occumbunt.

Su-

Subito corrumpitur atmosphaera ab exhalationibus, quae in cubiculis alioquin clausis calidis, humidisque nascentes, germen suum in corpora ad contagium disposita circumvehunt.

Accedit, quod aër frigidior complures etiam civium non sineret domo egredi; hinc ubi res angusta domi, et quorum cubicula sordida exhalationibus fornacis, coctionis, ciborum, hominum, liberorumque perpetuo inficiuntur, facillime febris utut benigna in putridam declinabat, nec rara erat in adstantes contagii propagatio.

Sola vero fenestrarum apertura, sola corporis procurata munditie, febris haec extemplo mitigabatur, et e corpore, licet horrido petechiis, paucorum dierum decursu feliciter non dicam pellebatur, sed quasi sponte discedebat, modo ars sinistra naturae conatum non cohiberet.

In nosocomium admiseramus 30. foeminas, viros 18. Morbis acutis laborarunt 18 foeminae, viri 14. Mortui sunt inde tres, hinc obiit decimus sextus.

Ge-

Genius morborum acutorum acre bilioso pituitosum fuit, phlogosi levi junctum: periculosius decumbentes persaepe et petechiis corripiebantur. Genius acutorum in nosocomio.

Cephalalgia multos, tussis et pectoris oppressiones afflixerunt plures: hos exanthema et sputum glutinosum, illos liberavit haemorrhagia narium.

Quidam e capite simul et pectore dolebant, phlogosi cum petechiis simul praesentibus, ut, quid ageres primo, aut quodnam malorum urgentius medelam posceret, nescires.

Adolescentulus 13. annorum 11 Apr. algore et calore alternantibus affectus de cephalalgia vehementi conqueritur; adest simul tussis et pectoris oppressio, pulsus interim celer, mollis, elatus.

12. Apr. Perdurant haec omnia cum incremento.

13. — In nosocomium adducitur: cephalalgia vehemens, debilitas virium magna, petechiae hinc inde in corpore, oculi ruben-

bentes, oppressio pectoris, respiratio difficillima, pulsus celer, vibrans, elatus, lingua humida, laevi muco obducta, oris sapor pastaceus, hypochondria mollia.

Instituitur venaesectio unciarum 8. ad conciliandam aliquam vasorum depletionem: cruor laete rubicundus tenuis, serum a levissima cruoris agitatione rubellum. Cephalalgia statim minor, faciliorque respiratio. Juxta Baglivium initio purgare nolui, nulla urgente primarum viarum impuritate: hinc nonnisi decoctum hordei cum aceto dedi.

14. Calor, obtusus capitis dolor, tinnitus aurium, oppressio: pulsus frequens, celer, vibrans. Do ipsi libras duas infusi ex drachma florum arnicae, et simul pro potu decoctum hordei: noctu sudat: alvum bis habet per diem, urina cruda est, petechiae livescunt.

15. Tinnitus aurium aliquanto majores, tussis sicca frequens dolens; oppressio prectoris continua; pulsus mollis, undosus, celer; sudor ad meridiem usque; abdomen molle, indolensque: idem, quod heri medicamentum.

ab-

16. Cephalagia magna cum tinnitu, delirium mutum, oppressio pectoris et tussis minor, pulsus et alvus ut heri. Sumit hodie infusum ex drachmis duabus florum arnicae paratum, simulque camphorae drachmam dimidiam in mucilagine gummi arabici. Vesperi et noctu sudor, nox cum somno.

17. Sudor et alvus bis deposita cocta, delirium minutum, pulsus tardior.

18. Delirium nullum, urina biliosa, cruda, sopor.

19. Cephalalgia vehemens, tinnitus aurium, delirium, tussis rara, alvus semel, praeter medicamenta vesicans ad nucham applicatur.

20. Cephalagia eadem, etsi vesicans bene operatum esset: oppressio simul pectoris magna, vox rauca, tussis, laxitas universalis, pallida labia, oculi concavi, urina flavicans clara, alvus semel: interim pulsus elatus, tardus, mollis.

Die nunc critica imminente, certus, quod materia morbosa caput praeprimis atque

que pectus occuparet, fors naturae viribus non facile amovenda, cum febris aestus referbuisset, dedi vigesima aquam laxativam ex sale medio et manna paratam, seponens ulterioem camrphorae usum: alvus inde laxior orta, cum capitis pectorisque levamine.

21. Alvus noctu ter copiosa, cocta; urina sedimentum albo flavum deponit, pulsus naturalis est, raucedo minor, petechiae dilabuntur.

Sanitas nunc indies confirmatur magis, debilitasque virium, morbi furore valde fractarum, decocto corticis restauratur. Die 28 integre restitutus aeger e nosocomio dimissus est.

Eadem die eodem fere morbo affligitur vir quadragenarius. Cephalalgia maxima, oppressio, sitis, pulsus celer, mollis vibrans: lingua albo muco copioso obducta, os amarum. Dedi ipsi purgans; alvus inde laxa decies quater et ultra absque levamine cephalagiae, gustu tamen emendato. Quarta die febris, oppressio, cephalagia sine intermissione desaeviunt, dolore capitis profundiores frontis partes jam occupante

te; pulsus celer accelerans, undulatorius: noctu in somno perturbato orta haemorrhagia, exstilantibus e nare sinistra libris duabus sanguinis cum magno levamine, nox tranquilla. Vigesima quinta mane ex eadem nare iterum haemorrhagia ad libram unam: pulsus deinde tardus, mollis, nulla amplius oppressio pectoris, caputque liberrimun.

Decima sexta. Quam primum aeger acrem illum morbi fomitem una cum sanguine per narem ejecisset, citissime sanitati restitutus abiit.

Id vero, qnod morbum constitutionalem hujus mensis in nosocomio genuit, peculiare genus febris inflammatorio putridae cum exanthemate morbilloso cognitum est. sexus sequior huic morbo praeprimis obnoxius fuit, seniores autem minus junioribus.

Febris inflammatorio putrida cum exanthemate morbilloso

Non dissimilem ill: l. B, de Störck eodem mense observavit anno 1760. multo tamen praesenti mitiorem. Eundemque Huxhamus mense Aprili anni 1734 observatum descriptumque reliquit: unicum interesse videtur discrimen, quod hic noster ante

te

tequam finem attingeret plenarium, duraret diutius.

Loco descriptionis generalis quasdam adducam historias.

Puella sana alias, beneque menstruans 15. annorum ab initio Aprilis minus bene valuit: a quarta nunc horripilatione nunc calore indies coepit affligi cum dolore faucium, laterisque punctorio. Per tres adhuc dies domi manet nil praeter infusum aliquod theatum usurpans.

7. Apr. 3tia. nimirum morbi die medelam rogat: febris erat vehemens dolor lateris dextri cum tussi sicca dolente, partes oris interioris inflammatae, lingua simul albo flavo muco defaedata: extrahuntur unciae 10. sanguinis, brevi crustam phlogisticam densam efformantes: purgatur octies alvo.

8 — 4, Nullum levamen: repetitur venae sectio: sanguis vero non amplius phlogisticus est, laete rubens facilis dissectu: levamen inde doloris lateris, facilior deglutitio, minor tussis.

9 — 5. Post noctem tranquillam sudor, angina eadem, auditus difficilis, tussis minus dolens, alvus fluida,

10 — 6. Facies rubet, oculi rubri, humidi, mador cutis continuus, auditus vesperi difficilior, sopor.

11 — 7. Maculae rubelae, latae per totum corpus diffusae, vox rauca, ardet cutis, alvus manet fluida. Sumpserat hucusque decoctum hordei cum oximelle: hodie do infusnm florum arnicae, qui virtute resolvente, leniterque antiseptica in omni febrium bilioso putridarum et exanthematicarum genere medicamentis omnibus antecellunt.

12. — 8. Angina nulla amplius, sed vox rauca, cutis erysipelatose rubens cum pustulis morbillosis latis livescentibus: sopor, caput vertiginosum, respiratio bona, lingua flavo muco in medio inquinata.

13. — 9. Subdelirium, pulsus celer, mollis, elatus digitos feriens, citoque se contrahens media in diastole. Ad depellendam funestam e cerebro depositionem, ap-

applicata fuere synapismata pedibus, vesicansque nuchae: camphorae drachma semis simul exhibita.

14.—10. Virium major dejectio: hinc dedi decoctum corticis una cum infuso florum arnicae, atque camphorae drachmam semis.

15.—11. Sicca cutis, marmorea, ardensque; lingua arida, petechiae hinc inde, foetidum corpus, respiratio cita abdominalis: eadem medicamenta: alvus hucusque quotidie bis, terve.

16.—12. Sudor levans, pulsus elatior, cutis aequalius rubicunda.

17.—13. Sudor idem foetidus, levans; sopor minor, delirium nullum, oculi vividiores.

18.—14. Pulsus tardior, elevatior, mollis; sibilus in respiratione, tussis denuo.

19.—15. Mentis integre compos aegra; ast debilis de siti, de respiratione difficili, de cephalalgia conqueritur: urina cruda, al-

alvus semper aperta, pulsus elatus, minus celer. Continuatis medicamentis madet continuo cutis, et minus rubet.

20. — 16. Eadem, quae heri; petechiae evanescunt.

21. — 17. Nox tranquilla cum sudore, pulsus fere naturalis, mollis, elatus, tardus; Color cutis in naturalem vergens: urina mane cum sedimento largo, ex albo flavescente.

22. — 18. Si raucedinem et debilitatem exceperis, bene se habet aegra: urina albo flavescens: nec datur nisi decoctum corticis.

23. — 19. Urina mane cum eneoremate: sumpto purgante salino purgavit octies: pulsus mane tardus, vesperi celerior, parum strictus: tussis sicca, vox rauca: idem decoctum corticis.

25. — 21. Sputa nunc commode prodeunt purulenta, facili et rariore tussi: sumit lac cum decocto corticis, et ad facilitandum puris exitum vapores aquae calidae inhalat.

27 — 23. Copiosus facilisque puris exitus adminiculo tussis, vox minus rauca. Appetit valde aegra, nunc bene valens: vesperi nulla febris.

Sic in sputis ejiciendis ad primam usque Maji assidua, et vires et pristinam sanitatem recuperavit, eamque adeo florentem, ut sexta Maji perfecte sana nosocomio valediceret.

En in una eademque aegra scarlatinam, morbillosum exanthema, et petechias, cephalitidem, anginam, peripneumoniam! mala certe, quorum alia multa ab aliis aliena videntur, nisi acre quoddam putridum peculiare, sanguini immixtum admittas, quod irritando vasa cutis, encephali, faucium, pulmonumque singulas has inflammaverat partes, pustulisque sui generis imbuerat, cum petechiae simul ab imminuta sanguinis densitate oborirentur. Veram in pulmonibus et faucibus fuisse inflammationem, demonstravit pus, quod per excreationem, et ope tussis exivit. An ulcus formatum fuerit, latet: quid si lympha coagulabilis, in bronchiis quiete restitans in pus degenerasset?

Ejus-

Ejusdem generis, at decursus diversi notabilis alius fuit foeminae morbus.

Puella 18 annorum, succosa, at duobus mensibus non menstruata, tussi corripitur sicca, et pectoris oppressione: venae sectione crustaceus educitur sanguis. Altera die 18. Apr. mox horripilare coepit, mox calere; tussis continua, dolens, sicca; respiratio difficilis, vox rauca. Durant haec per septem dies continuos, ore simul amaro, lingua in fundo flava, urina fusca, vehementique dolore sincipitis. Pulsus primis 5 diebus celer, durus, tensus: a sexta die mollior, celeritate et magnitudine inaequaiter remittens. A binis venae sectionibus cruor minus spissus cum crusta tenaci corrugata: ab aqua emetica vomitus glutinosus aeruginosus.

Post septimam diem horripilatio huc usque durans cessat: manifestiores sunt febris remissiones, sed tussis continua, sicca, dolentissima; respiratio difficillima, orthopnaeica, vox nulla, inordinati viscerum tumultus, subsultus, crampi, tensiones.

Decocto hordei cum cremore tartari et manna indies exhibito alvus bis vel ter per nitchemerum promota, sitisque fuit extincta. Ab octava die camphora simul datur largiori dosi, pro majori nervorum spasmo, a granis quatuor ad drachmam dimidiam: vesicantium item inter scapulas et ad suras applicatio, atque ulcerum suppuratio.

Decima sexta sudor et somnus cum levamine: 17ma morbillosum cum sudore per totum corpus erumpens exanthema; cephalagia cum nervorum distensionibus imminuta.

Perdurat sudor ad 24^{tam} una cum exanthemate fere continuus, calore moderatiori, pulsu aequali, elato, tardo: urina primis sudoris diebus cum eneoremate, 21ma sedimentum copiosum lateritium deponit. Eadem die tussis hucusque sicca et dolentissima humido temperatur sputo tenaci glutinoso: 22da vomituritione, adjuta emetico, glutinosa ejicitur pituita; sputum inde liberius, compiosius, verum pus igne et immersione probatum: vox tamen continuo rauca: 23^{tia} exanthema sensim minus: 24ta effluxit integre cum desquammatione cutis.

Ex-

Expuitio puruleta durat adhuc per 14 dies, vox deinde paulatim evadit clarior, decubitus in sinistrum latus hucusque impossibilis jam facilis; vires et caro, violentia morbi valde consumptae, brevi restituuntur, appetitu ad nutrimenta indesinenter invitante, ita ut medio Majo optime valens et colorata ad suos rediret.

Medicamentorum inde ab eruptione morbillosa nulla fuit facta mutatio; continuavi lenia eccoprotica diluentia salina: decoctum nempe hordei cum arcano, manna, vel cremore tartari. Composito nervorum tumultu, et erectis naturae viribus, camphoram seposui. Ad expectorationem vero promovendam, et ventriculum a pure deglutito purgandum, granum tartari emetici copiosa dilutum aqua per diem exhibui, unde purulentum tenaxque gluten eo citius expuebatur, quo magis facilitabatur concussio. Curam clausit serum lactis, quod ad duas usque mensuras per diem strenue potatum fuit.

Nemo est, qui summam hujus aegrae pulmonum inflammationem in suppurationem abiisse non perspiciat; Verum ad peculiare

liare quoddam genus systematum hunc morbum referre difficile est.

Febris erat continua remittens: inflammatoria diathesis praecipuam quidem merebatur attentionem; sed conjunctum ipsi venenum acre erat ejusmodi, ut cura nonnisi ad inflammationem directa certo certius aegram abripuisset. Idem acre pulmones, idem laryngem, idem et cutem inflammaverat, idem et nervos summo cum vitae periculo constrinxerat, idem denique continuata per 20 dies naturae opera per purulenta sputorum involucra, per vomitus, et copiosissimam sudoris excretionem e corpore penitus fuit eliminatum.

Miranda sane et inperscrutabilis natura, legis circa dies criticos semel statutae observantissima! dies 4. 7. 17. 21. hujus morbi vere judicatorii fuerunt, et critici.

Hinc non possum ex scriptis non adducere quasdam aegrotorum historias, qui eodem hoc mense, eodem morbo laborantes, ad unum omnes eandem naturae operam eamdemque legis observantiam attestantur.

Pu-

Puella 23 annorum florida hucusque sana.

22 Apr. mane inhorruit, incaluit, febricitavit tota die, noctu sudavit.

23 Apr. 2. morbi die: Iterum mane horror, calor per diem, noctu sudor: sumit decoctum hordei cum arcani duplicati drachmis duabus.

24 — 3. Eadem: simul oppressio pectoris, tussis, cephalalgia, lingua impura, flavo muco defoedata, pulsus celer, constrictus.

25 — 4. Febris iterum ut heri, rubor faciei, magna pectoris oppressio; venaesectio: continuantur priora medicamenta; urina mane sedimentum lateritium deponit.

26 — 5. Eadem; alvus quinquies.

27 — 6. Eadem: pulsus hodie mollis undulosus celer, sputa globulosa, duriuscula, sanguine striata, alvus bis, urina mane cum sedimento rubello.

28 — 7. Febris eadem, haemorrhagia narium copiosa cum levamine cephalalgiae,

et

et febris, sputum glutinosum cum intermixto sanguine, urina cum denso eneoremate in fundo.

29 — 8. Nullus horror amplius, febris continua, cutis continuo transpirans. urina straminea, os pastaceum, pulsus celer, mollis, elatus.

30 — 9. Pustulae morbillosae in facie, pectore, brachiis, et toto corpore prurientes; sudor, pulsus minus celer, calor minor, dolor abdominis.

1. Maji, 10. Pustulae augentur, pruritus est molestior, lingua purior et humida; pulsus fere naturalis, mollis, calor sitisque minor, alvus et hodie bis. Continuat decoctum hordei cum oxymelle, arcano duplicato seposito.

2. — 11 Exanthema minuitur; lingua impura est.

3. — 12. Alvus per duos dies constipata, lingua impura, et flavo albo muco obducta, pulsus celer mollis: sumit unciam salis anglicani in libra semis aquae fontanae

nae, unde decies quinquies alvum deponit biliosam coctam; urina intense rubet.

4.—13. Pulsus pacatus, naturalis; exanthema nullum amplius, sed tussis iterum magna, sicca: lingua eadem, ut heri, muco obsessa, urina intense rubra, alvus ad vesperum ter cocta.

5.—14. Sudor levis, lingua pura, tussis pauca, pulsus minus celer, mollis, urina jumentosa cum sedimento lateritio.

6.—15. Pulsus naturalis, nulla febris, urina mane cum sedimento copioso, appetitus redit.

7.—16. Pulsus naturalis, urina ut heri, pustulae nullae amplius.

8.—17. Nulla febris, urina iterum cum sedimento lateritio, sudor noctu.

9.—18. Sal anglicanum ad unciam unam in aqua fontana, unde decies alvus cum optimo levamine.

10.—19. Urina naturalis, sanitas integra, appetitus magnus.— Mansit sana, viribusque brevi restitutis sana dimissa est.

Primis 7 diebus febris quotidiana intermittens subcontinua, tussis non multo post, oppressio, et cephalalgia: die quarta rubor faciei cum sedimentosa urina, nullum tamen judicium; sexta sputum striatum; septima haemorrhagia narium levans, nullum tamen judicium, imo inde ab eadem die febris continua: Nona pustulae morbillosae, levantes malum, ast incerti adhuc judicii, quae 11ma imminutae, 13^{tia} disparent. 14ta vera crisis, urina inde per 4. dies continuos lateritia cum levi sudore, et febri integre pacata.

Medicina huic aegrae data, utut specie pauca, re tamen fuit egregia, etsi tumultuarie nihil actum sit. Pituita enim tenax cum acri exanthematico febris causa salinis medicamentis incisa, per alvum educta fuit.

Salinis medicamentis initio natura ad pituitam tenacem incidendam, evacuandamque adjuta, diluenti deinde saponaceo

po-

potu acre involutum fuit, et dissolutum; urgente orgasmo quarta morbi die sanguis extractus est, spontanea deinde naturae opera ulteriorem venaesectionem reddidit supervacuam. Eruptione exanthematis facta suspensus est salinorum usus, ne irritato ventriculo et intestinorum tractu eruptio cutanea turbaretur. Ast vix biduo interruptus eorum usus repetendus erat, lingua impura, ore fatuo, alvo constipata id praescribentibus. Eadem haec salia copiose exhibebantur ad alvum purgandam. Die solenni 17ma exantlata, omnis nunc cocta morbi materies per vias quacunque apertas excreta erat: tussis, ferox utique et molestum symptoma, proprium sibi non poscebat remedium: salina, saponacea et diluentia hic optima fuere bechica.

Puella 22 annorum 20 Apr. oppressivo pectoris dolore cum horrore et calore alternantibus afficitur simul et dedolatoria artuum lassitudine.

21 Apr. 2da nimirum morbi die secatur vena, sanguis est crustaceus, oppressio minuitur; febris vero continuat, os simul pastaceum est, noctu sudat.

22.—3. Eadem ut heri: horror iterum et calor alternantur; cephalaea, os pastaceum, tussis et oppressio molesta sunt: venaesectio fit, iterum sanguis est crustaceus, noctu sudat.

23.—4. Nullum levamen, febris eadem: sumit hodie aquam laxativam, unde septies alvus; calor, sudorque noctu.

24.—5. In nosocomium deducitur: febris remittens, horror idem cum calore, dolor pectoris in inspiratione major, lingua muco flavo spurca, pulsus celer, compressus: iteratur venaesectio, sanguis crustaceus; cataplasma pectori applicatur, decoctum hordei cum oxymelle.

25.—6. Horrori cessanti calor succedit continuus, humidus; respiratio dolens, tussis: venaesectio iterum, et aqua laxativa.

26.—7. Dolor minor, pulsus celer elatus mollis, febris continua. Decoctum hordei cum aceto.

27.—8. Respiratio anxia, cephalaea, febris remittens: mane pulsus tardior, vespe-

peri celer cum febri, tussi et dolore pectoris. Decoctum hordei cum aceto.

28.—9. Eadem.

29.—10. Pervigilium, anxietas permanens, pallor faciei, oculi tristes, cephalaea.

30.—11. Eadem: noctu sudor.

1. Maji 12. Facies et oculi lucidiores: respiratio, tussis, cephalaea eadem, uti et pervigilium.

2.—13. Eadem.

3.—14. Pulsus celer, inaequalis, inordinatus, sed sat elatus; oculi turbidi, tristes, tussis rarior, anxietas magna: noctu exanthema erumpit morbilliosum cum sudore.

4.—15. Pulsus mollis, parum elatus, celerrimus 124 ictuum in uno minuto: eruptio adhuc copiosior, cephalaea nulla, nec anxietas, nec tussis, sed oculus dexter san-

sanguine suffusus, urina fusca, sudor continuus, facies hilarior.

5.—16. Sudor continuus, exanthema minus, pulsus tardior, mollis, elatus, urina fusca cum eneoremate.

6.—17. Exanthema nullum amplius, pulsus et oculi naturales.

7.—18. Eadem: urina ruberrima.

8.—19. Bene est: pulsus 86. ictuum mollis, naturalis, os pastaceum.

9.—20. Aqua laxativa, unde alvus octies.

10.—21. Urina cum sedimento lateritio densissimo, febris nulla: optime se habet aegra, appetit: post 8 dies dimittitur.

Hujus aegrae morbus erat peripenumonnia febri remittenti juncta: unde facile erat concludere, non esse inflammationem puram sed tum cruditatem primarum viarum, tum aliud simul adesse peculiare quoddam acre fors praecipuam hujus morbi causam. Urgens

gens quidem pulmonum inflammatio propriam certe sibi poscebat medelam antiphlogisticam. Sanguinem educere oportebat crustaceum, ne suppuratio, vel lethalis pulmonum gangraena oriretur.

Sed et ad alia simul respectus mihi habendus, et naturae viribus, quantum potui parcendum fuit. Sexta die initium febris continuae; ad decimam quartam usque varia naturae molimina spem inter et metum circa exitum: interim naturales functiones continuo bonae. Decima quarta maximus timor mali exitus: oculi tristes, pulsusque vacillans infelicis certe erant augurii: ast et in ipsa vacillatione pulsus elatio aegram viribus adhuc valentem affirmabat, ita, ut nervorum tumultum ad omnia symptomata maxime contulisse crediderim.

Hinc etiam nihil dedi ex stimulantium classe, sed solum decoctum hordei continuavi, nimirum: ne operam naturae turbarem. Nocte decima quarta dein critica morbillosum exanthema et cum eo sudor, faciei hilaritas, pulsuum naturalis decursus, febris abactio judicium meum confirmarunt.

In-

Interim morbus nondum integre subactus fuit. Vigesima demum nocte urinae sedimento lateritio cardinalis sanguinis depuratio, et integra perfecta ultimaque crisis, et hanc voloci pede subsequebatur sanatio.

Mortui hoc mense in civitate 1542.

MA-

Barom.			Therm.	Venti.		
Dies.	alti.	med.	gradus medius.	mane.	meridie.	vesperi.
1	27 dig.	9 lin.	+ o 13⅔ gradus	o	o	o
2	27 —	8¾ —	+ o 14¾ —	O. p.	o	o
3	27 —	8⅓ —	+ o 14¾ —	S.S.O.p	S.S.O.p.	o
4	27 —	8½ —	+ o 16 —	o	o	o
5	27 —	8¼ —	+ o 15½ —	o	o	W. p.
6	27 —	6⅓ —	+ o 14⅓ —	o	o	o
7	27 —	5¾ —	+ o 12⅓ —	o	S. p.	o
8	27 —	6¼ —	+ o 10⅓ —	o	o	o
9	27 —	8 —	+ o 11⅓ —	o	W. p.	W. m.
10	27 —	10 —	+ o 12 —	o	o	o
11	27 —	9⅔ —	+ o 10⅔ —	o	o	N. p.
12	27 —	9½ —	+ o 12⅓ —	o	N. p.	N. p.
13	27 —	9½ —	+ o 13 —	o	o	o
14	27 —	9¼ —	+ o 13⅓ —	o	o	o
15	27 —	9¼ —	+ o 12⅔ —	o	o	o
16	27 —	9 —	+ o 14⅓ —	N.O.p.	N.O. p.	N.O.p.
17	27 —	9 —	+ o 15¾ —	o	o	o
18	27 —	8¼ —	+ o 16 —	o	o	o
19	27 —	8⅓ —	+ o 14⅔ —	o	o	o
20	27 —	8 —	+ o 12⅔ —	o	o	o
21	27 —	9¼ —	+ o 14⅔ —	o	o	W. f.
22	27 —	10¾ —	+ o 17⅔ —	N. p.	N. p.	o
23	27 —	10⅔ —	+ o 10 —	o	o	o
24	27 —	10⅔ —	+ o 11⅔ —	o	o	o
25	27 —	10¾ —	+ o 17⅓ —	o	o	o
26	27 —	10¾ —	+ o 19 —	o	S. m.	S. p.
27	27 —	10¾ —	+ o 18 —	S. p.	S. p.	—
28	27 —	10 —	+ o 20 —	—	—	o
29	27 —	10 —	+ o 17 —	o	o	N. p.
30	27 —	10 —	+ o 16⅓ —	N. p.	o	o
31	27 —	10¼ —	+ o 16¼ —	o	o	N. p.

Die 27 altitudo max. = 27 dig. 14¾ lin.
Die 7 altitudo minima = 27 dig. 5⅔ lin.

Differ. = o — 5½ lin.

Die 28 calor max. = + o 22 grad.
Die 11 calor minimus = + o 8 grad.

Differ. = + o 14 grad.

In nosocomium suscepti sunt 45 aegri. Ex his reconvaluerunt 42, mortui sunt 3. obiit ergo decimusquintus.

Ex susceptis aegris 30 acutis, reliqui aut chronicis aut chyrurgicis morbis laborarunt.

Acutorum 10 pleritide affecti fuerunt, 8 nimirum foeminae, et vir pleuritide pura inflammatoria, unica vero foemina pleuritide pituitosa.

Febri remittente laborarunt 19: foeminae videlicet 4, et vir inflammatorio biliosa; 2 foeminae et vir bilioso pituitosa; viri 4 et 2 foeminae quotidiana simplici; febri denique pituitosa 4 foeminae et vir.

Ex reliquis phthisi scrophulosa foemina, phthisi pulmonali vir et foemina, abscessu mesenterii vir unus, sorbuto duo, scorbuto et scabie foemina, erysipelate foemina, vir arthritide, foemina fluore albo, binae foeminae et vir scabie, vir alius quartana, alius febri depascente atrophica laborarunt. Sic viri 19 et foeminae 26 hoc mense nosocomium salutarunt.

Pleu-

Pleuriticorum plerique è latere dextro doluere: pulsus erat durus, contractus, celer, et sanguinem venae sectione extractum crusta tegebat contracta; respiratio erat difficilis dolens, dolor lateris ut plurimum extensior, externo tactu auctus, ita ut latentis rheumatici cujusdam acris suspicio mihi veniret in mentem, nec sine ratione in multis, quorum scilicet morbus a refrigerio trahebat originem: in aliis pituitosum acre et illusit medico, simul et totum non raro morbum peperit. Pleuritis

A venae sectione optimum et efficacissimum levamen oriebatur: hac rite administrata et reiterata pro virium morbique conditione, reliqua medela facilis erat. Imo persaepe ne ullis quidem praeterea pharmacis indiguerunt aegri, modo strenue biberent potum tepidum emollientem.

In nosocomio decoctum salep generale hujus morbi fuit antidoton, sub ejus usu morbus paulatim imminuebatur, sputo cocto et copioso excreto.

In binis aegris febris in remittentem, tertiaque die in intermittentem tertianam abi-

vit. Inflammatione sedata, acre pituitosum incidentibus salinis solvi et evacuavi, quo facto morbus omnis sponte sanitati locum fecit.

Puella a bimestri menstruis carens non gravida, diuque valetudinaria, tussitans, et macilenta 1. Maji dolet e latere dextro cum tussi continua, sicca, dolente, et pectoris oppresione; pulsu celeri duro: statim vena secatur, et decoctum salep exhibetur tepidum; superficies sanguinis corio similis est, inde levamen, ast tussis continuat; reiteratur venae sectio, dolor abit, tussis permanet sicca; continuo sumit magnam decocti salep copiam ad libras 4 et ultra per diem; dolor et respirationis difficultas, imo febris evanescunt absque visibili crisi: tussis per plures dies durat adhuc, tandem tamen decocto salep pertinaciter continuato penitus cessat, ita ut post 17 dies aegra multo quam ante morbum valentior ad suos redierit.

Adolescens 23 annorum scabie antea infectus, qua evanida tussitavit, pectore dolente, sputis primo nullis, dein purulentis, febricula continua. Quarta Maji subita-

taneae horripilationes, dolor simul punctorius dextrum latus occupat, respirationem impedit, manente simul irritamento ad tussim, quam aeger prae dolore conatur suspendere: potu calido paululum minuitur dolor, sed febris continua. Per 4 dies domi manet aeger, morbi incuriosus; nona Maji in nosocomium adducitur. Pulsus celer, durus, constrictus; facies pallida florentibus genis. Dolor lateris maximus, tussis continua, respiratio cita, dolens: extemplo fit venaesectio: calida emollientia cataplasmata lateri applicantur, interne vasculum calidum decocti salep, cum drachma una nitri pro nicthemero, omni hora datur. Sanguis corio obductus est.

10 Maji dolor adhuc, licet minor, alia ut heri; reiteratur venaesectio, lympha coagulata supra cruorem contracta; melioratio, noctu levis sudor.

11. Nullus amplius dolor, sed non cedit tussis: sputa puriformia; repetuntur medicamenta.

12. Diu noctuque tussis molesta, saepe inanis, gena dextra rubet, respiratio diffici-

cilis, continuantur cataplasmata, et decoctum salep, exhibetur eodem tempore linctus ex gummi arabico.

13. Eadem: oppressio simul in respiratione: rubor genae dextrae; hinc venaesectio adhuc; crusta nulla, sed venaesectione vix facta oppressio omnis evanescit; continuatur decoctnm salep cum nitro.

Sequentibus diebus indies propior spes salutis, tussis multo minus molesta, rubor genae naturalis.

16. Urina flavicans cum eneoremate.

17. Nulla fere tussis amplius; appetit valde, hinc carnes datae.

20. Optime se habet aeger.

27. Sanus discedit macie multum minuta.

Idem morbi decursus et eadem sanatio reliquorum pleuriticorum fuit. In binis vero phlogosi, laterisque dolore per venaesectiones et emollientia sedatis, sexta morbi die propullularunt remittentis gastricae symptomata.

Lingua albo et flavicante muco faeda, os pastaceum, febris post accessum remittens, quae in altero aegro in intermittentem tertianam degeneravit; urina lateritia, pulsus celer, mollis.

His in aegris pituitam bilemque primas infestare vias palam fuit, quae morbo inflammatorio sedato proprium sibi et consuetum febris genus progenuerunt. Facillima hic fuit sanatio. Seposito enim emollientium apparatu, mox drachmas duas arcani duplicati, et salis ammoniaci drachmam unam exhibui per diem, dedique pro potu decoctum hordei. Alvus inde aliquoties soluta est: urina per aliquot adhuc dies sedimentum lateritium deposuit, febris impetus sensim debilitatus, octava die non rediit amplius, sanitate integre restituta.

Febres remittentes omnes pituitoso biliosi generis erant, adjuncta in quibusdam inflammatoria diathesi. Quotidianarum remittentium mitior decursus, nec sinistri ominis fuerunt symptomata, cephalagiam si exceperis, quae omnes hujus mensis remittentium ordines comitabatur. Febris remittens pituitoso biliosa

Lin-

Lingua in hujuscemodi febribus albo conspurcata muco, oculi rubicundi, frons et tempora pressorio dolore affecta, nec minus cervix: gustus pastaceus, membra fracta; ordinarius febris accessus vesperi, saepe et bis per diem; noctu sudor.

Febrim sibi relictam versus septimam, vel octavam diem sponte sequebatur dyarrhaea levans; urina sedimentum deponebat.

Sic sola naturae opera aegri restituebantur; Vidique plures per hunc mensem sola medicante natura optime sanatos, ubi nihil omnino medelae attuleram, nec, praeter potum theatum, quem sitis aegrorum expetierat, quidquam exhibui.

Quosdam vero nec tam mitis nec tam celer morbi decursus dimisit. Pro varia enim acrimoniae qualitate, et situ, fors et ejus quantitate, pro propria demum aegrotantis conditione morbi vis, velut aperta Pandorae pixis, varia graviaque mala evomuit.

Adolescentulus 14. annorum coepit febri remittente affici cum vehementi dolore capitis; os erat pastaceum, lingua sub-

subalbida: pulsus celer, magnus, calor vehemens, facies florida, alvus naturalis bis per diem, inquietudo, sitis.

Otiosus hic fui spectator, nec exhibui nisi decoctum hordei cum oxymelle pro potu. Tertia die corpus sudore madet cum imminutione caloris; alvus ter nunc dyarrhaeica, levans; cephalalgia adhuc.

Sexta die haemorrhagia narium copiosa cum cephalalgiae imminutione. Vapores aquae tepidae ad emollienda vasorum orificia, exitumque sanguinis facilitandum naribus admoventur. Inde quotidie per tres dies haemorrhagia narium, et cephalalgia penitus imminuta. Vigesima quinta Maji sanissimus abiit.

Alter triginta annorum febricitaverat a decima Maji. Per quatuor dies rediit horripilatio mane et vesperi; accessit postea calor, noctu sudor. Post quartam diem calor continuus, mane remittens: cephalalgia circa frontem et tempora premens, oculi rubri, lingua albo muco tenuiter obducta, os pastaceum, pulsus celer, magnus, alvus naturalis.

Su-

Sumit decoctum hordei cum oxymelle, primisque diebus arcani duplicati drachmas duas, quo alvus ter exorta dyarrhaeica, quapropter ulterius ab arcano abstinui. Septima morbi die copiosa narium haemorrhagia cephalalgiam sedavit subito, nocte subsequente sudor copiosus cum alvo pultacea copiosa, in urina sedimentum largum lateritium. Octava nulla febris amplius. Citissima sanitatis restitutio.

Febris prior cum inflammatione. In aliis quidem febris remittentis character idem, eademque observabantur symptomata, sed vehementius progrediebatur febris, graviaque sanguinis inflammati apparebant symptomata.

In his sanguinis detractio summe erat necessaria, adeo ut ea posthabita ob falsum ad acrimoniam biliosam respectum inevitabili aegri fato intricarentur. Phlogosis hic aderat, quae antiphlogistica medela, praecipue sanguinis detractione imminuenda erat, quo facto febris genuinae simplicis remittentis decursum absque ulteriori impedimento persolvebat; et salinis adjuta remediis, bilem et pituitam et immixtum acre statis criseos diebus per alvum, uri-

nam,

nam, sudoremque; saepe et per salivam expulsabat.

Torosa puella, quae adhuc priori menſe menstruis gavisa fuerat, per decem dies domi aegrotavit, horripilatione et calore alternantibus, tandem morbo succumbens in nosocomium allata est tertia Maji.

Quotidie horripilatio mane levis, dein calor continuus per diem, noctu sudor, mane maximus, quem horror denuo excipit. Facies illi lurida, tristis, auditus difficilis, magna virium dedolatio, cephalalgia vehemens, pectus anxium dolore oppressum, tussis sicca, respiratio difficilis, anxia, abdomen molle, lingua pura, pulsus celer, mollis.

Do illi statim infusum florum arnicae cum aceto ac melle, ad resolvendum acre morbosum, viresque erigendas.

4. Maji. Eadem ut heri, pulsus elatus, micans, celer. Inflamationem subodoratus, venam seco: prosilit sanguis, crustam brevi faciens, cum levamine. Continuatur infusum florum arnicae.

5.

5. Dolor capitis minor, sed auditus gravis, susurrus magnus, pectus minus dolens, pulsus celer, elatus, vibrans, durus: alvus bis, urina cruda alba. Venam pedis secari jubeo, repeto hesterna medicamenta.

6. Auditus facilior, caput et pectus libera, nulla tussis: remissiores febris paroxysmi; pulsus elatus, mollis, minus celer: abdomen vero elatum hodie, lingua flavo muco obducta. — Addo infuso florum arnicae drachmas tres arcani duplicati: inde per diem alvum quinquies habet biliosam, noctu sudat.

7. Alacris est, nulla febris: cephalalgia noctu vix incommoda. Continuatur infusum florum arnicae.

8. Edomita febri bene se habet: alvus dyarrhaeica. Hinc do ipsi aquam laxativam ad naturam adjuvandam: Purgatur decies biliosa.

9. Optime se habet, ita ut decima nosocomio valediceret.

Altera quotidiana duplici laboravit cum cephalalgia, dolore lateris, lingua alba, urina limpida: pulsus durus, compreſsus, celer. Venaesectione capitis ac lateris dolor lenitur. Continuatur decoctum hordei.

Septima die sudor cum urina lateritia, et alvo frequenti pultacea.

Octava: sanitas.

Eodem morbo bini alii laboraverunt, queis eadem medela exhibita fuit. Nona unus, decima septima alter morbo liberatur.

Juvenis 23 annorum eodem morbo multo gravius conflictatus fuit, nulla vero phlogosi praesente. Hic saepe haemopthysi affectus, et diu tussitans, quarta Maji horrore corripitur, calet, capite obtuso cum dedolatione membrorum. Febris prior gravior.

5. Aliquantulo melius se habet.

6. Rursus friget, caletque.

7. Iterum paroxysmus.

9. Febris continua.

10. Vires valde fractae: nullus horror; sed calor vehemens, et caput obtuse dolens. Suscipitur in nosocomium: datur ipsi decoctum hordei.

11. Os pastaceum, lingua alba, facies lurida, oculi rubri, turbidi; cephalalgia, dolor frontis pressorius, pectus anxium, inspiratio difficilis, tussis sicca, abdomen molle, pulsus celer, mollis, elatus. Do ipsi arcani duplicati drachmas quatuor in decocto hordei; alvus inde ter.

12. Frigus mane leve dein calor vehemens, et sudor: caetera ut heri: alvus bis: continuantur medicamenta hesterna.

13. Calor continuus, cephalalgia magna: facies rubicunda, sudor; vesperi frigus, dein iterum calor et sudor: noctu delirium: alvus ter cruda biliosa. Continuantur medicamenta.

14. Maji, 11 morbi die: Os continuo amarum, subsultus, calor vehemens; capitis, pectorisque oppressorius dolor, respira-

spiratio cita difficilis: alvus ter aquosa: sudor levis: eadem medicamenta: nox insomnis.

15. — 12 Mane frigus leve, dein sudor largus: abdomen elatum, dolens, os amarum: ad mala hesterna accedit delirium: medicamenta priora.

16. 17. 18. 19. Continuo febricitat aeger: horripilatione, quae alternis diebus idem tempus accessionis servat, affligitur mane et vesperi, subsequuntur calor et sudor, a meridie vehementiores: alvus indies ter, quater aquosa, biliosa. Symptomata eadem quae prius. A decima octava pulsus vacillat, datur infusum florum arnicae, et decoctum hordei cum arcano duplicato.

20 — 17. Febris minuitur: alvus compactior ter, tussis, cephalalgia, pectoris oppressio minus infesta, continuantur medicamenta.

22 — 19. Febris minor, pulsus elatus, tardus, vix non aequalis, nil in medicamentis novi.

24 — 21 Urina cum sedimento rubro copioso: alvus quater cocta: sudor mane, febris fere nulla.

25 — 22. Urina cum sedimento rubro; alvus bis cocta; sudat mane. Abstinet ab ulteriori medela.

26 et 27. Idem urinae sedimentum mane, cum sudore continuo et alvo frequenti pultacea.

28 — Febris omnino deseruit aegrum, melius posthac quam antea, valentem: nulla tussis, nulla pectoris affectio eum deinceps vexavit.

Periculosissime vero eodem malo decubuit foemina triginta annorum.

Haec decima Maji incipit aegrotare febri quotidiana, duplicatum habente typum cum tussi; dolor pectoris oppressorius, cephalalgia, dedolatio crescunt in dies, os amarum est, lingua flavet.

Decima octava Maji, octava morbi die in nosocomium allata. Dabam ipsi prima die

die non nisi mixturam salinam; unde alvus quater aquosa absque levamine. Altera die aquam emeticam sumit, unde quater vomitus aeruginosus et alvus ter, cum aliquo levamine. Vigesima: idem status: febris continua remittens, calor vehemens, et siccus, aegra valde infirma; pulsus debilis mollis undulosus, lingua in fundo flava, os amaricans, tussis, cephalalgia, oppressio. Sumit infusum florum arnicae, cum arcano duplicato, et decoctum hordei pro potu.

21 M. 12 morbi die. Omnia ruunt in pejus: respiratio stertorosa, anxietas, morositas, delirium, pulsus undulosus, alvus dyarrhaeica, urina aquosa. Seponitur salium usus: datur solum infusum florum arnicae et decoctum hordei.

22 — 13. delirium; alvus involuntaria, dyarrhaeica, pulsus celer, tremulus; stertor. Dantur grana decem camphorae cum infuso florum arnicae.

23. 24. In eodem: augetur camphorae dosis ad scrupulum unum per diem: Applicantur vesicantia ad suras. Duplicatur infusi florum arnicae dosis. — Vires indies magis collabuntur.

25 — 16. In eodem: stertor magnus, dentes sordidi, mucus tenax fuscus os, gulamque conglutinans, facies turbida, oculi semiclausi, delirium continuum. Dabam drachmam semis camphorae per diem continuato infuso florum arnicae.

26 — 17. stertor videtur minui: caetera eadem.

27 — 18. Gena dextra rubet, pulsus semper tremulus, cutis sicca, tussis, sputa difficilia, tenacissima, fusca; meteorismus, alvus involuntaria, stertor minor: in intervallis lucidis conqueritur aegra de aurium susurro: auditus gravis.

28 — 19. Anxietas, inquietudo, nox insomnis cum magno delirio, alvus involuntaria semel.

30. — 21. Vomitus iterum spontaneus aeruginosus: post vomitum per momentum ad se redit; pulsus regularior, os purius; hinc aquam emeticam propino suspensa manu, dosique parcissima. Vomitus inde quinque aeruginosi prorsus et glutinosi, alvus simul ter cocta, semel involuntaria.

Si-

Situs hodie in utrumque latus: pulsus a meridie debilis undulosus. Continuato infuso florum arnicae cum decocto herbae malvae datur reliqua parte diei scrupulus unus camphorae: noctu sudor ac somnus tranquillus: in urina sedimentum lateritium.

31 — 22. Respiratio melior: stertor nullus amplius, minus delirat per diem, dormit pro maxima parte, pulsus minus celer, mollis: a meridie vomitus tres aeruginosi, glutinosi, et alvus ter cocta: nox bona, mane urina magnum sedimentum lateritium statim deponit.

1. Iunii 23. Facies purior, laetior, gena non amplius rubicunda, lingua pura, respiratio bona, tussis fere nulla, venter collapsus, alvus bis cocta: vesperi anxietas, inquitudo, nox insomnis cum delirio.

2. — 24. Facies lurida rursus cum gena dextra rubente: pulsus flaccidus, celer, debilis: vesicantia gangraenescunt: mane vomitus iterum spontaneus, aeruginosus. Sepositis omnibus medicamentis do ipsi rursus tartarum emeticum in aqua solutum. Vomi

mitus inde ter aeruginosus cum multa tenaci materia. Post vomitum libera ac serena cibos appetit aegra medicamentorum quorumcunque abstemia; pulsus minus celer, elatior, urina noctu lateritia.

3.—25. Vomitus mane adhuc aeruginosus: per diem bene se habet: nulla tussis, anxietas nulla: caput, venter, pectus libera: appetit.

4.—26. Pulsus tardus elatus, facies bona: ad vires erigendas sumit decoctum corticis.

5.—27. Vesicantium ulcera consolidantur; reviviscit aegra, indies nunc meliorata, vires acquirit.

14—Ab ulteriori corticis usu abstinet.

26—Integre restituta nosocomio exivit.

En vehementissimum et funestissimum statum morbi constitutionalis, qui in plurimis adeo mitem habuit decursum.

Se-

Sed et haec vehementia id habebat terrifica inter symptomata benignitatis, ut natura, licet undique suppressa, luctuansque, statos tamen servaret dies, queis perfectam evolveret crisin, initiumque ejectionum praepararet.

Omnia viscera nobiliora morbi graviate affecta languebant, nec ullus erat medicamentis subveniendi locus toto coctionis tempore. Lethalem enim inani dyarrhaea reddidissem virium deperditionem; nec in adstringentibus fortioribus salus erat, ut pote materiam morbificam magis adhuc infarcientibus.

Una supererat stimulans solensque virtus camphorae, florum arnicae, et vesicantium.

Alia stimulantia fors idem effecissent, ast plura congerere nolui, simplicibus assuetus. Sic camphora praeplacuit et infusum florum arnicae, quorum miram virtutem tot in periculis grata recolo memoria.

Ast peculiaris in hoc morbo vomitus fuit post 20^{mum} morbi diem prorumpens, cum jam initio morbi ventriculum vomitivo

per

perpurgassem, et inedia, potuque diluenti per viginti dies servassem nitidum.

Seposita ibi erat materies morbifica biliosa, morbi vi coctrice ad expellendum disposita. Prima die potu aquae tepidae officio meo satis fieri credebam, ast altera die redeunte vomitu, certior de anamnesi, audacius dedi emeticum, quod, qua data porta, coctam materiam expelleret.

Quiescente morbo, et expulsa omni materia tempus aderat roborandi. Tum cortex exhibitus mirabili pollens virtute roborandi, vires restituit.

Tres adhuc alii in eodem haerentes discrimine eadem methodo consanuere. Quinta mortua est, morbo nimis diuturno, et partim senio, partim praecedentibus morbis exhausta.

Senicula haec valetudinaria octiduo domi aegrotaverat: debilis valde ad nosocomium affertur. Manibus pedibusque frigescentibus, delirans, pulsu debili undulante: decubitus brevi gangraenosus, tussis iners, ebulliente in bronchiis glutine; lin-

lingua fusca, os tenaci fusco glutine plenum, alvus involuntaria, foetens. Debilior indies, nullo criseos molimine facto, sexta die moritur.

Ad gangraenam imminuendam, vires erigendas, naturamque succumbentem adjuvandam cortex, camphora, flores arnicae, vesicantia, omnisque roborantium stimulantiumque apparatus frustra fuit exhibitus.

Cadaver habebat pulmones gangraenosos, cor vacuum, sanguinem ubique dissolutum, foetidum, intestina pluribus in partibus livida gangraenosa; viscera omnia mollia livescentia; vesiculam felleam bile nigra turgentem.

Quartana radicae gentianae sanata.

Vir triginta annorum quartana per mensem afficitur, lingua alba pastacea, et abdominalibus visceribus obstructis. Dedi ipsi per quatuordecim dies arcanum cum floribus salis ammoniaci. Inde quotidie ter, quater, quinquiesve alvus compacta. Evacuata cruditate et febri vacillante dedi pulveris radicis gentianae drachmas duas per diem. Postduos abhinc paroxysmos febris non rediit amplius. Continuavit aeger per octo dies

-pul

pulveris gentianae drachmam per diem: Hucusque bene valet.

Phthisis. Phthisici pulmonali labe affecti hoc mense plures convaluerunt antiphlogistica nutriente medela, sero lactis et decocto Salep. Ubi scrophulosum virus, glandulas obstruens, phthiseos causam autumavi, dedi succum hederae terrestris et decoctum malti optimo cum effecto, ita ut asserere possim, me duobus hisce remediis quam plurimos phthisi scrophulosa affectos integre restituisse, de quorum reconvalescentia non pauci desperaverant.

Non inutile credo, historiam breviter percurrere phthiseos ab abscessibus mesenterii ortae, quam hoc mense in nosocomio observavimus.

Mesenterii degenerati et supppurati historia. Adolescens erat viginti quatuor annorum. A prima infantia, sexto nimirum aetatis anno, febribus intermittentibus omnis generis laboraverat continuo, ita ut ne mense quidem uno febris illum dimitteret incolumem; idque duravit toto sequenti vitae tempore. Variolas, morbillosque ut ipse ajebat feliciter perpessus erat antea, scrophu-

phulosae acrimomiae indicia non habuerat: nec plica se, suosve (Polonus enim erat) affectos fuisse asserebat. Humidum vero locum natalem fuisse, et intermittentes ibi non infrequentes esse, hydropemque ascitem.

Emaciatus, procero alias corpore, ad nosocomium accessit tertia Maji tertiana laborans. Venter erat durus valde, et elatus, quem statum jam diu sic esse affirmabat.

Do ipsi decoctum solvens ex taraxaci, graminis et cichorei radice, atque arcanum duplicatum cum floribus salis ammoniaci. Alvus indies quater, quinquiesve varia.

Post septimam febris quiescit, et aeger bene se habet. Interim amarus oris gustus, qui antea affuerat, adhuc adest cum ventre duro. Continuatur ideo prior medela dosi imminuta.

Decima tertia Maji subito absque causa friget, caletque, febri quotidiana, quae nunc quotidie recurrit, correptus.

Con

Continuantur priora remedia, adduntur extracta solventia.

Vigesima: Noctu cruciatur vehementissimis ventris doloribus cum pulsu celeri constricto, lingua sicca. Salinis extemplo sepositis, venam parce seco, et exhibeo decoctum Salep liberalius ore, et per enemata, crusta livescens coriacea cruorem tegit. Dolor mitigatur; ast ascitis fit fluctuatione manifestior. Do nunc iterum decoctum solvens cum oxymelle colchico incassum, cum squilla incassum. Saepe inter eorum usum dolores colici vehementes. Febris interim irregulariter quotidie redit. A decocto solvente cum cremore tartari omnium se habet optime: febris imminuitur, urina manat copiosa; evanescit aquae fluctuatio in abdomene et abdomen ipsum minuitur sua mole, ast antiquam servat duritiem.

Ad infarctus abdominis reserandos clysmata ex carduo benedicto, furfuribus, floribusque arnicae quater per diem injiciuntur. Alvus inde ter, quater per diem copiosa cocta stercoracea, sensim et glutinosa, viridis, fusa, copiosissima: emollescere etiam videtur abdominis durities.

Ast

Ast aeger indies magis magisque emaciatur : augetur febricula, appetitus perditur: Mors tandem vigesima prima Augusti.

Dissecto cadavere inveni pulmones undique accretos minus voluminosos, sanguine dissoluto in fundo.

Cor vacuum, flaccidum, lympha coagulabili auriculas ambiente pericardio agglutinatum.

Dissectis integumentis abdominis peritonaeum valde deformatum, medio pollice crassius, durum, ut discindi vix posset, totum interiori superficie madidum.

Viscera omnia abdominalia unam in massam conglutinata: lympha coagulabilis toto in cavo extravasata membranacea coriacea, omnia conglutinans, incrassans, ita ut ad partium sejunctionem ubique cultro opus foret.

Intestina digito crassiora, pluribus in partibus externis exulcerata:

Me-

Mesenterium in massam difformem crassam transmutatum, intestinis accretum, plures in variis abdominis regionibus formans abscessus, quorum maximus in regione erat sinistra infra lienem fundo steotomatoso mesenterii, partes glandulosae omnes induratae, hepar tandem sanguine dissoluto redundans.

Eundem fere morbum nuper observavit Lentin, eundemque a Bonneto, et Morgagni descriptum legimus.

Mortui hoc mense in Civitate 1549.

Ju-

Dies.	Barom. alti. med.				Therm. gradus medius.				Venti mane.	Venti meridie.	Venti vesperi.
1	27	dig.	10¼	lin.	+	o	15¼	gradus	o	o	o
2	—	—	10½	—	+	o	15	—	o	o	o
3	—	—	10½	—	+	o	16⅓	—	o	o	o
4	—	—	9⅔	—	+	o	18⅓	—	o	S. p.	o
5	—	—	6¼	—	+	o	14¾	—	o	W. m.	W. m.
6	—	—	11	—	+	o	13⅔	—	N. p.	N. p.	o
7	—	—	11¼	—	+	o	14⅓	—	o	o	o
8	—	—	11¼	—	+	o	16⅔	—	o	o	o
9	—	—	9⅓	—	+	o	18	—	o	S. p.	S. p.
10	—	—	8¼	—	+	o	18⅔	—	S. m.	S. m.	S. m.
11	—	—	8	—	+	o	20⅓	—	S. m.	S. m.	S. m.
12	—	—	8⅔	—	+	o	15½	—	o	o	o
13	—	—	9¼	—	+	o	18⅔	—	N. p.	W. p.	W. p.
14	—	—	11½	—	+	o	14	—	W. p.	N. p.	N. p.
15	28	—	0⅓	—	+	o	14⅓	—	o	N. p.	o
16	27	—	11¼	—	+	o	17	—	N. p.	o	N. p.
17	—	—	10⅓	—	+	o	71¼	—	o	o	o
18	—	—	10	—	+	o	18	—	o	o	W. p.
19	—	—	11⅔	—	+	o	17	—	W. p.	W. p.	W. p.
20	28	—	2	—	+	o	20	—	N. p.	N. p.	N. p.
21	—	—	2	—	+	o	19	—	N. p.	W. p.	o
22	—	—	1½	—	+	o	21¾	—	o	o	o
23	27	—	11	—	+	o	23½	—	o	o	o
24	—	—	11	—	+	o	22	—	o	W. p.	W. p.
25	—	—	9¾	—	+	o	22⅔	—	o	o	W. f.
26	—	—	8½	—	+	o	14⅓	—	N. p.	W. m.	W. m.
27	—	—	9¼	—	+	o	11½	—	W. p.	W. p.	W. m.
28	—	—	11¼	—	+	o	13	—	W. p.	W. p.	W. m.
29	28	—	0	—	+	o	16	—	W. p.	W. p.	W. p.
30	—	—	0¾	—	+	o	17⅔	—	W. p.	W. p.	W. p.

Die 21, 13 altitudo maxima = 28 dig. 2⅓ lin.
Die 10, 11, 26 altitudo minima = 27 dig. 8 lin.

Diffe. = 0 dig. 6⅓ lin.

Die 24 calor maximus. = 0 + 25 grad.
Die 6 26 27 calor minima = 0 + 11 grad.

Diffe. = 0 + 14 grad.

Se-

Serenitas siccitasque continua vix non integrum hunc mensem notarunt, calorque ad nonam usque mitior sensim auctus est ad maximum gradum. A vigesima quinta tempestas pluviosa, minusque amoena in alterum mensem perduravit.

Numerus aegrotantium hoc mense fuit exiguus, nec periculosi erant morbi acuti, genio eodem ac prioris mensis cogniti.

Bilis et intestinorum succus paulo acriores pepererunt remittentes quotidianas, dyarrhaeas, et colicas. Non defuere tamen et rheumata et inflammationes, praecipue cephalaeae, anginae et pleuritides, haemorrhagiae quoque variae, sputum sanguineum, vomitus cruenti, menorrhagiae, haemorrhoides, haemorrhagiae denique internae cum morte subitanea.

Febres remittentes entericae.

Remittentes continuae se manifestarunt cum horripilationibus vagis et dedolatione, quas excepit calor cum cephalalgia in regione frontis, et sudore.

Mane os erat pastaceum lingua albo muco obducta. Haec cum diebus aliquot du-

durassent, dyarrhaea sequebatur spontanea, alvo copiosa viridi, febris deinde siluit, et aegri plerumque medicamentis non indigentes, sponte restituebantur.

Quibus vero haec evacuatio opem non tulerat, hi per aliquot adhuc dies vagarum horripilationum et calorum vicissitudine conflicti, febri dein manifestius cognita, lecto fuerunt affixi. His febris quotidiana remittens cum exacerbatione vespertina, pulsus mollis, celer, lingua flavo muco inquinata, caeteraque biliosae colluviei indicia: cephalalgia vero vix unquam deerat, nempe dolor circa frontem et ossa bregmatis, persaepe etiam accedebant dolores colici, et alvus tenesmoidea.

Communis medela desumpta est ex classe solventium et salinorum: raro conducebant vomitoria, aegris non nisi pituitam et mucum stomachalem absque fructu eructantibus; ventriculo enim libero materia peccans non poterat non latere profundius.

Exigua quantitate rhei salibus mediis admista ter quaterve per diem alvum movere

vere conatus sum, diluentibus magna quantitate simul exhibitis, nec frustra. Simplici enim hac methodo continuata, febris, modo graviori symptomate non irritaretur, sanata est. Quinta, ad summum septima die alvus cocta educebatur cum sudore et urina hipostatica.

Cum cephalalgia.

Nonnullos vero aegros, eadem hac febri laborantes, cephalalgia afflixit vehementior, eosque oculis rubentibus, pulsu forti, duro, celeri, somno perturbato, insomniisque terrificis ab aliis distinxit.

His venasectione nil magis erat necessarium; sanguinem enim crusta tegebat tenax phlogistica. Hac vero neglecta tertia saepe quartave die haemorrhagia narium copiosa aegro veniebat subsidio: nonnullis etiam aegris erysipelatosum exanthema erupit in faciem, aut pustulae circa labia, naresque, cum catarrhali narium defluxione. Eruptione hac facta cephalalgia coepit mitescere: largior dein sudor morbum brevi sanavit, diutius alias perduraturum.

Quibus vero nec haemorrhagia narium nec exanthematica succurrit eruptio hos mor-

morbus manebat periculosior. Febris enim nunc continens, caput obtusum, dolor verticalis, tinnitus aurium, morositas, melancholia, delirium triste, oculi rubri lucis impatientes, lingua paulatim siccior, albescens, pura quandoque et in fundo flavo muco conspurcata, sitis continua, os amaricans, conamen vomendi, et vomitus saepe aeruginosus nunquam levans, pulsus tensus, durus sensim compressior, sub finem tremulus; varia dein eruptionum conamina, miliaria alba, et rubra, pustulae circa labia, aphtae, omnia haec parva volumine, morbo non respondentia, et absque levamine. Post multas denique aerumnas vigesima quarta, trigesima imo et tardius mors miserandam hanc claudebat Catastrophen. Sunt qui conamine vomendi et vomitu aeruginoso decepti, bilem educere et corrigere tentarunt; sed frustra. In encephalo residebat morbi causa, et vomitus a concensu oriebatur, quemadmodum in omni capitis laesione id fieri consuevit. In encephalo inflammatoria erat sanguinis stasis, aut a spasmo intestinali, aut a vasorum laxitate, impetui humorum cedente, aut ab ebulliente sanguinis orgasmo, aut ab omnibus simul junctis inducta, quam

natura in aliis hamorrhagia narium, in aliis exanthematica faciei eruptione resolvebat.

Huic innixus ratiocinio sanguinem audacter extraxi, tepidisque pediluviis, et lenibus eccoproticis revulsionem a cerebro efficere studui, faustissimo id quidem eventu. Scilicet aegris diuturna etiam febri exhaustis et emaciatis exiguam sanguinis, semper crustacei, quantitatem, nempe uncias quatuor vel quinque eduxi, qua evacuatione dolor brevi leniebatur; sic habita semper virium ratione, sequentibus diebus perexiguam iterum eduxi sanguinis quantitatem, idque repetii, donec penitus cessaret inflammatio, aegrique dolore capitis se liberatos ipsi faterentur.

Interne sola dedi diluentia, addito uno, alterove grano camphorae cum scrupulo dimidio nitri, bis terve per diem, ut irritatione composita viribusque vitalibus erectis resolutio redderetur facilior.

Sacrificationes nuchae et hirudines retro aures applicatae crebro cephalalgiam utut rebellem compescuerunt opinione celerius.

Coli-

Colici dolores cum dyarrhaea incepe- runt hoc mense invalescere. Initium faciebant tormina cum alvo adstricta, ructibus, conamine vomendi, et ore amaro. Una alterave die post alvus sequebatur frequentior, tenesmoidea, cum sanguine simul excreto. Dyarrhaea.

Levis rhei dosis ad drachmam dimidiam per diem exhibita, decocto quodam grato tepido diluta, nidulantem in intestinis acrimoniam brevi eduxit, et diebus aliquot post ut plurimum sanitatem restituit.

Senibus vero et debilibus periculosior fuit hic morbus: virium enim lapsus, meteorismus, alvus involuntaria, funestaque alia paulo post ingruebant symptomata, adeo, ut quae initio conduxerant lenia purgantia, his brevi morbus recrudesceret, nec diluentia accellerantem gangraenam retardarentur. In quibusdam saturatum radicis arnicae et corticis peruviani decoctum gangraenae progressum cohibuit viresque ad putridam materiam alvo penitus expellendam erexit.

Rheuma.

Rheumata multos, multos item arthritis et podagra renovatis afflixerunt doloribus. Odontalgiae, clavi, hystericae affectiones a rheumate nascentes, lumbagines, varii denique generis Dyarrhaeae a rheumate solo ortae non paucos invaserunt. Haec vero malorum agmina in neminem desaevierunt pertinaciter, sed transierunt cito, modo potu copioso tepido sudor prolicere-tur largior, nec sudor erat prolectu difficilis. Multas enim dyarrhaeas, a rheumate ortas, solo potu tepido generose hausto sanavi.

Coelo sudo motu aëris vehementiori a locis umbrosis agitati transpiratio saepe interrumpitur. Id quod hac in civitate minus rarum est: aedium enim moles solito altiores continuam multis in plateis umbram efficiunt: multae praeterea domus e plateis umbrosis transitum offerunt cameratum passuum saepe centum et ultra, qui in plateam ducit, fervidissimo soli expositam. Ventis vero hic loci continuo flantibus, fieri vix potest, ut, qui commorantes prope istiusmodi aedes, sudant, transpirationem ilico perdentes, Rheumate non afficiantur.

In-

Inflammationes quamvis hoc mense non fuerint adeo frequentes, non raro tamen partim prioribus morbis conjunctae, partim et purae irruerunt. Inflammationes.

De cephalalgia inflammatoria modo sermo fuit.

Observavimus et pleuritides, peripneumonias, atque anginas.

Facilior fuit inflammationis diagnosis, cum pura esset, aut rheumati conjuncta. Pulsus enim durus, altus, celer, dolor, rubedo, aliaque manifesta tunc aderant inflammationis indicia.

Sanandi methodus in venaesectionibus, queis sanguis crustaceus educeretur, et larga antiphlogisticorum potuum sumptione consistebat.

Ubi vero biliosa vel gastrica labes inflammationi erat conjuncta, binique hi morbi mixtum gignebant malum, accuratiori indagine opus fuit, ut genius utriusque perspiceretur.

Fa-

Facie hi erant flavicante, vel luridescente, oculis minus splendidis: aderat constitutionalis cephalalgia; lingua muco albo flavescente tenuiter obducta, os pastaceum: febris tipum quotidianae remittentis servabat quidem, sed pulsus in remissione celer erat atque compressus. Alvus vel constipata cum torminibus, vel fluida cruda viridescens: Dolor deinde vel capitis vel colli cum majori partium affectarum rubedine vel dolor lateris cum tussi sicca et oppressiva respiratione, vel doloribus abdominis puncturam aemulantibus: somnus denique rarus cum insomniis.

Diluentia et eccoprotica alvum minus moverunt, nec facilius: spasmus enim inflamatorius impediit eorum operationem. A vomitu nullum levamen. Hic una fuit in venaesectione salus. Sanguine enim pro ratione virium, morbique gravitatis educto dolores leniebantur subito, solvebatur spasmus et quae jam exhibebantur eccoprotica ac diluentia, brevi per alvum coctam morbi materiem purgabant, ita ut vix ullus die septima post amplius aegrotaret.

Ve-

Venaesectione vero neglecta, aut tumultarius morbi orgasmus vehementiorem excitavit inflammationem, aut morbus sensim in phthisin abiit lethalem, ni salutaris naturae opera haemorrhagiam hoc mense alioquin valde frequentem excitasset.

Haemorrhagia nimirum narium, et uteri, haemoptysis, vomitus cruentus, haemorrhoides, et haemorrhagiae internae. Haemorrhagiae.

Insuetum aeris et diuturnum calorem atque siccitatem, orgasmo excitato, vasis debilitatis, sanguine fors et rarefacto praecipuam horum malorum fuisse causam, verosimile est. Vix calor excessivus erat imminutus, cum nulla amplius de haemorrhagiis fieret querela.

Antiphlogistica, nitrosa atque emulsa his optima fuerunt medela cum venaesectione, quandoque bis terve repetita, ut per exterioris venae aperturam exitus pararetur sanguini, qui alias sibi ipsi per vulnus inaccessibile viam faciens, id magis magisque amplificando omnis efflueret, id quod non paucis contigit.

Mortes subitaneae. Appoplexia enim hoc mense valde frequens ab haemorrhagia plerumque interna orta fuit. In tribus, quos aperui, appoplexia mortuis vas quoddam majus ruptum inveni.

Concidebant infelices subito absque ullo praegresso incommodo in animi deliquium, non multo post pereuntes. Accedebat simul convulsiva ventriculi et intestinorum excretio per vomitum et alvum; respiratio stertorosa, omni momento debilior, post quaedam minuta simul efflabatur cum anima.

Plerosque id genus subitaneae mortis vesperi post coenam prostravit.

In binis, quos excentravi, cerebrum fuit sanum, pallidum; pulmones cum corde sani sanguine vacui, sana abdominis viscera omnia, sed abdomen ipsum plenum sanguine extravasato et congrumato. In primo arteria mesenterica rupta: in altero nulla vasis cujusdam ruptura fuit detecta.

In tertio gibboso sene cerebrum sanum erat, et pallidum: pulmo sinister pleurae,

non

non secus ac pericardium cordi intime accreverant; cor vacuum; pulmo uterque fusco nigricans, sanguine tumidum, cavum pectoris et abdominis sanguine extravasato et congrumato scatens; ventriculus cibis infarctus, intestina aëre distenta. Visceribus denique a cadavere separatis aortam vidi descendentem in ipso suo transitu per diaphragma pollicis magnitudine in longum disruptam.

In nosocomium per hunc mensem admissi sunt quadraginta duo: viri nimirum viginti duo, foeminae viginti. Ex his sedecim viri, foeminae duodecim acutis laborarunt, chronicis vero et chyrurgicis viri sex, octo foeminae. Mortui sunt hoc e numero tres, ergo decimusquartus quisque. Febre quotidiana remittente partim biliosa, partim mixta inflammatoria correpti erant viri sex, foeminae tres: pleuritide tam pura, quam biliosa mixta tres viri, duae foeminae; colica et dyrrhaea duo viri simul dysenteria vexati, tres foeminae; rheumate tres viri: erysipelate bilioso vir et foemina, haemoptysi foemina: phthisi tres viri, una foemina; haemorrhagia uteri foemina. Numerum complent morbis chronicis affecti.

De-

Decursus dictorum morborum huic menſi pecularium idem est ac supra descriptus fuit; medela pariter eadem. Decoctum solvens paratum ex hordeo, graminis et taraxaci radice, aliisque leniter saponaceis, cum aliquot drachmis salis medii, ut alvus inde aliquoties per diem purgaretur, ſufficiebat morbo penitus exturbando.

Pleuritis biliosa.

In aegrota quadam pleuritide biliosa affecta, metastasis ad parotides jamjam futura erat, quae tamen feliciter decocto foliorum salicis resoluta, et alvo purgante educta fuit.

Erat haec puella septendecim annorum paupercula, rerum omnium inopia, et variis aegritudinibus inde ortis emaciata et debilis. Duodecima Junii incipit dolere e latere dextro cum horripilatione simul ac calore. 13. Junii in nosocomium admittitur: calor siccus, cutis arida, vehemens dolor lateris dextri costas veras afficiens et spurias externus, ab attactu paulo vehementior, tussis, subdelirium, pulsus celer, constrictus, lingua pauco muco griseo obducta, oris sat purus sapor.

Ve-

Vena secatur, educuntur decem unciae sanguinis, crustam brevi facientis: exhibitur ipsi decoctum radicis salep tepidum cum drachma nitri per diem: applicantur lateri cataplasmata calida emollientia.

Dolor lenitur statim: sed vesperi recrudescit. Repetitur venaesectio ad uncias decem, sanguis iterum crustam format. Continuantur medicamenta.

14. Dolor adhuc, et tussis sicca dolens, pulsus idem, omnia eadem ut heri. Repetitur venaesectio; educuntur octo unciae sanguinis iterum crustacei. Noctu somnus cum sudore.

15. Dolor minor, sudor continuat, delirium, tussis vehemens sicca, pulsus elatus, celer. Continuo potum tepidum decocti salep cum nitro. Dolor paulatim lenior, vesperi nullus amplius, tussis minor, sudor continuat.

16. Dejectio virium magna, pulsus mane tardior, debilis, vesperi celer, mollis, elatus: aegra morosa, immorigera: vesperi subdelirium, lingua pura, os purum,

ab-

abdomen molle, alvus singulis hisce diebus semel — bis fluida, noctu sudor: Acre non subactum fors nec solis naturae viribus cessurum judicans, do infusum florum arnicae simul cum decocto salep.

17. Urina mane sedimentum flavo rubellum dejicit, tussis pauca, pulsus mane tardus, mollis, alvus ter cocta pultacea; vesperi idem febris accessus, sed moderatior. Continuatur infusum florum arnicae cum decocto salep.

18. Optime se habet aegra: pectus omnino liberum, mane plenaria apyrexia, os purum, stomachus latrat, vesperi febris accessus, per noctem continuans.

A 19. ad vigesimam secundam idem status: febris vesperi imminet, per noctem infesta: per diem bene se habet aegra, famelica valde: pulsus mane tardus, mollis, vesperi celer constrictus, subinde inaequalis. Continuo infusum florum arnicae, adjecta uncia mannae.

22. Noctu parotis sinistra tumet, dolet, inflammata est, omni momento incres-

c.ns:

cens: febris secundaria. Seposita hucusque continuata medela do ipsi decoctum foliorum salicis, unciam nimirum foliorum in libris duabus aquae fervidae infusam, et per quadrantem horae coctam. Parotidi nil applico.

Vesperi sudor copiosior, alvus per diem bis.

24. Bene se habet aegra: tumor in eodem statu: continuatur Decoctum foliorum salicis.

25. Tumor dissipari incipit: febris nulla, ne vesperi quidem; pulsus elatus tardus, transpiratio: continuatur decoctum foliorum salicis.

26. Tumor integre dissipatus est. Sumit aegra solutionis salis amari sedlizensis unciam; purgatur inde decies: optime se habet. Nulla ab hoc tempore incomoda, sanitas indies magis confirmata: continuat adhuc per octiduum decoctum salicis, abstinet deinceps ab omni medicamento. Mansit in nosocomio ad decimam nonam Julii usque, cum torosa decesserit.

Foe-

Amaurosis ab arthritide.

Foemina triginta sex annorum ante duos annos menstruis caruerat, et sanguinem exspuit. Venaesectionibus et antiphlogisticis sanatur, menstruis restitutis. Anno medio post scabie afficitur, corpore pleno ulceribus saniem fundentibus; sulphure et balneis sanatur. Ante medium annum hepatitide vehementi laboraverat: venaesectionibus, emollientibus in- et externe applicatis sanata est.

Excipit hunc morbum vix superatum ischias, pulsu non duro, nulla praesente inflammatione. Decocta bardanae et florum sambuci tepida non sufficiunt, sumit desuper extractum aconiti ad grana sex et decem per diem. Usu per 37 dies omni mane continuato integre restituitur.

Nunc prima Iunii febricitans in nosocomium adducitur. Per quatuor dies quotidiana remittente laborat biliosa: simul adsunt arthritici pedum dolores, oculi flavescunt, lingua muco flavo obducitur, os pastaceum, at caput liberum, pectus leviter oppressum, hypochondrium dextrum vix non tumidum est, alvus constricta, dolor lacinians artuum inferiorum.

Ex-

Exhibetur decoctum solvens: dantur simul arcani drachmae tres per diem, unde purgatur. Septima Iunii nulla amplius febris, nullaque symptomata eam comitantia, hypochondrium liberatur: appetitus redit.

Ast dolores arthritici iidem: Pedum debilitas tanta, ut aegra pedibus quin concidat stare nequaquam pos sit, simul oculorum pupilla dilatata est. Ecce nunc amaurosis, nulla licet praecedente aut praesente cephalalgia, nullo doloris aut pressionis cujusdam in capite sensu.

Metastasin in cerebro circa nervorum opticorum originem suspicatus, do repetoque purgantia salina, applico ad nucham vesicans, pediluvia adhibeo calida, do infusum florum arnicae, aliaque potentiora incidentia, repetitis omni biduo vel triduo purgantibus. Nullum inde amauroseos levamen: eadem pedum debilitas, iidem dolores.

A vigesima Iunii exhibeo extractum aconiti ascendendo a granis quatuor per diem ad scrupulum, continuoque infusum florum arnicae, quorum excellentem in sanan-

nanda amaurosi virtutem saepissime miratus sum. Insisto his remediis per integrum mensem: arthritici dolores sensim minuuntur et abeunt, roboris aliquid pedibus accedit quidem: ast diu iis insistendo aegra impar est. Febris interim toto hoc tempore nulla, fames magna, macie licet increscente, omnes functiones naturales bonae.

A vigesima Julii abstineo ab aconiti usu, continuans solum infusum florum arnicae, aliaque potentiora solventia: fonticulos ad brachia applico: vesicans in nucha per tempus repetitur, pediluvia calida quotidie reiterantur.

Mense Augusto de doloribus arthriticis nulla amplius querela: functiones omnes bonae manent: amaurosis eadem.

Circa initium Septembris aegra subito emaciatur, nulla licet praesente causa. Sexta lethargica fit, leves oriuntur convulsiones, oculi convelluntur continuo, corpus in eodem situ jacet paralyticum: pulsus tardus est et debilis. Nona moritur.

Ca-

Cadavere dissecto viscera pectoris et abdominis sana erant, hepar parvum, sanum: partes vesiculae felleae viciniores solito magis flavae, vesicula fellea bile flava redundans: omentum consumtum, vesica urinaria gangraenosa, fusca.

Capite aperto cerebri vasa jacent sanguine turgida: in ventriculis cerebri anterioribus serum ad uncias sex: in sinistro cerebri haemisphaerio prope corpus callosum pars ipsius medularis substantiae pollicem longa lataque in mucum et gluten abierat. Thalami nervorum opticorum et procedentes inde nervi optici in ortu, conjunctione, et toto suo tractu usque in introitum in orbitam obducti cinctique lympha coagulabili. Cerebri nervi omnes minus cohaerentes, perfrictu faciles, vasa omnia sanguine dissoluto plena.

Mortui hoc menſe in civitate 1516.

Dies.	Barom. alti.	med.	Therm. gradus medius	Venti mane.	meridie.	vesperi.
1	27dig.	$10\frac{1}{3}$ lin.	+ o $19\frac{1}{2}$gradus	o	W.m.	o
2	— —	8 —	+ o $17\frac{1}{3}$ —	o	S. f.	o
3	— —	$7\frac{2}{3}$ —	+ o $14\frac{2}{3}$ —	W. p.	W. p.	o
4	— —	$6\frac{2}{3}$ —	+ o $14\frac{1}{2}$ —	S. p.	W. p.	W. p.
5	— —	7 —	+ o 16 —	N. p.	S. p.	N. p.
6	— —	7 —	+ o $13\frac{1}{4}$ —	W. m.	W. m.	o
7	— —	$7\frac{1}{2}$ —	+ o 15 —	o	W. p.	o
8	— —	10 —	+ o $12\frac{2}{3}$ —	o	o	W. p.
9	— —	11 —	+ o $14\frac{1}{3}$ —	o	o	W. p.
10	— —	10 —	+ o $15\frac{1}{2}$ —	o	o	W. p.
11	— —	$5\frac{3}{4}$ —	+ o 18 —	o	W. p.	W. p.
12	— —	$5\frac{3}{4}$ —	+ o 11 —	W. p.	W. p.	W. f.
13	— —	$7\frac{2}{3}$ —	+ o 14 —	W. p.	o	o
14	— —	7 —	+ o $14\frac{2}{3}$ —	S. p.	W. p.	W. p.
15	— —	$8\frac{1}{3}$ —	+ o $13\frac{2}{3}$ —	S. p.	W. p.	W. p.
16	— —	$9\frac{2}{3}$ —	+ o 12 —	W. p.	W. p.	W. p.
17	— —	11 —	+ o $12\frac{2}{3}$ —	W. p.	o	W. p.
18	— —	$10\frac{3}{4}$ —	+ o 13 —	W. p.	o	W. p.
19	— —	$11\frac{2}{3}$ —	+ o $17\frac{2}{3}$ —	W. p.	o	o
20	— —	$11\frac{1}{2}$ —	+ o 18 —	S. p.	o	o
21	— —	$9\frac{3}{4}$ —	+ o 20 —	N. p.	S. p.	o
22	— —	$11\frac{1}{2}$ —	+ o $14\frac{3}{4}$ —	o	o	o
23	— —	$11\frac{1}{3}$ —	+ o 17 —	o	o	o
24	— —	$10\frac{1}{3}$ —	+ o $18\frac{2}{3}$ —	o	O. p.	W. p.
25	— —	$10\frac{1}{3}$ —	+ o $18\frac{1}{2}$ —	o	o	o
26	28 —	$0\frac{1}{2}$ —	+ o $16\frac{1}{2}$ —	W. p.	o	W. p.
27	— —	$0\frac{1}{3}$ —	+ o 17 —	N. p.	o	o
28	27 —	$10\frac{1}{2}$ —	+ o $15\frac{1}{3}$ —	o	o	o
29	— —	$7\frac{1}{3}$ —	+ o 20 —	o	o	o
30	— —	7 —	+ o 20 —	o	S. f.	S. m.
31	— —	10 —	+ o $17\frac{1}{4}$ —	S. p.	N. f.	o

Die 26 altitudo max. = 28 dig. $1\frac{1}{4}$ lin.
Die 12 altitudo minima = 27 dig. $5\frac{1}{2}$ lin.

Diffe. = o dig. $7\frac{3}{4}$ lin.

Die 21, 30 calor maximus = o + 24 grad.
Die 8, 15, 16 calor minimus = o + 11 grad.

Summa = o + 19 grad.

Men-

Mensis hic in genere solito fuit frigidior, nec correspondens calori prioris mensis. Primi novem dies sereni quidem, sed indies minus calidi: nona coelum nubibus tegi coeptum, pluvia deinde vix non indies ad decimam nonam usque continuante: amoenius postea ridebat coelum, et calor quandoque satis intensus mensem ad finem usque comitatus est.

Febres biliosae sensim irruere brevique insolenter dominari coeperunt. Plurima febrium pars aut pura fuit biliosa, aut saltem de genere biliosarum participavit. Febres biliosae.

Regnarunt biliosae purae, cephalalgicae, et bilioso inflammatoriae, rheumatismi inflammatorii, erysipelata, dyarrhaeae et dysenteriae, intermittentes tertianae, vomitus cruenti, variolae denique confluentes funestae.

In biliosis puris praeter communiora biliosarum symptomata: anorexiam scilicet, vomituritionem, linguam muco flavo obductam, typum remittentem, urinam fuscam singularis etiam adfuit capitis dolor pressorius ad maximam quandoque vehe-

mentiam auctus circa frontem et tempora, aliquando et supra verticem ad occiput extensus: in aliis cephalalgia minor quidem, sed dolor lateris acutissimus cum tussi pauca, sicca: pulsus, quo majores erant dolores, eo tardior, ita ut naturali esset tardior in vehementissimo paroxysmo. Aegri extra paroxysmum in somnum quidem proclives, ad minimum vero motum, imo sponte evigilabant perterriti.

Dolebant ad unum omnes e ventriculo, quem sine irritamento non licebat attingere, in multis praecesserat, vel et comitabatur morbum colica cum vel sine dyarrhaea. Foeminas, et delicatiores cephalaea praecipue vexabat.

Qui curam a venaesectionibus inhoaverant, ubi non urgeret inflammatio, pejorem reddiderunt aegrorum conditionem; necessarias enim ademerunt vires, febrimque putridam nervosam cum ferocibus elicuere deliriis. Plerorumque sanguis laete rubens fuit, et cruor discissu facillimus. Antispastica nervosaque stimulantia cum febris incremento omnium simul inducebant malorum iliadem.

In

In ventriculo latitabat acre morbosum, bilis corrupta, forsan et ipse succus gastricus acrior. Hoc acri, qua data porta, ejecto, et febris et mala quaevis eam comitantia abigebantur. Erat vero talis naturae, ut se non una eademque vice avelli pateretur, incidi debebat, et resolvi sensim et excoqui, usque dum radicitus exterminari posset.

Vomitoria remedium erant unum instar omnium, et inter haec longe antecellebat tartarus emeticus in aqua, quo commodius partitis vicibus sumeretur, solutus, quo sumpto bilis aeruginosa amarissima cum citissimo ejiciebatur levamine.

Interim non una vice febris cedebat locum: redibant dolores, etsi minus acuti, remanebat pulsuum tarditas cum biliosorum apparatu. Continuanda hinc erant per unum alterumve diem salina solventia; ex quibus granum unum vel alterum tartari emetici, in aqua pura vel mannata solutum, et cochleatim datum, erat caeteris longe efficacius. Potentissime enim acre morbosum, muco immixtum, et in villis ventriculi et intestinorum implicitum incidebat, solvebat,

et

et per alvum educebat. Post duos tresve dies repetendum erat emeticum, quo omnes istius acris reliquiae penitus eliminarentur. Post et febris et omnia febris incommoda fugerunt.

Nonnullorum malum exacerbaverat inflammatio, eorum nempe, qui musculari robore majori, vel crasi humorum compactiori pollebant. Febris, qua laborabant, eadem quidem remittens, et apparatus biliosus idem, dolores quoque capitis, sed magis erant pulsatorii cum pulsu forti, tenso, duro, celeri.

His vena secanda erat, quandoque repetita vice, crusta scilicet tegente sanguinem. Dein vero vomitorium dandum. Eadem nimirum causa, saltem aggravans morbi sodalis, latitabat in ventriculo. Ejiciebant et hi non parum aeruginosae bilis, eamque purgabant alvo cum levamine; propterea continuatis incidentibus eccoproticis, repetitis etiam pro re nata emeticis spatio septem vel novem dierum integre reconvalescebant.

Febris decrescens manifestiores faciebat remissiones, in multis etiam intermis-

siones, quotidie minores, usque dum prorsus evanesceret. Ter eam in tertianam abiisse vidi, continuato solventium usu post tres quatuorve paroxysmos emanentem.

Ad hanc biliosarum classem et intermittentes tertianae, et erysipelata, faciem, artus, variasque corporis partes occupantia, dyarrheae quoque, et dysenteriae referantur oportet, siquidem jam dicta mala iisdem symptomatibus distincta, iisdemque salinis incidentibus et vomitoriis citissime et integre sanabantur.

Dysenteriae infantibus erant infestiores: collabebantur cito vires, et qui debiles erant, vel scrophulosi, aut alia acrimonia laborantes, aut qui tenerrimo non fovebantur servitio, brevi moriebantur.

Rheum ad grana aliquot omni bihorio in syrupo quodam datum, et clysmata mucilaginosa simul cum diaeta mucilaginosa, non farinacea brevi restituebant tenellos, vomitorio rarius indigentes; Opiata, theriacalia, aliaque ejusdem furfuris consueta mulier cularum antidota tumulo inferebant.

Vo-

Vomitus cruenti per hunc mensem copiosiores, quam alias, et consuetis facile recidivi. An ab acri ventriculum rodente? Inviscantia cum parca dosi aluminis froenum dederunt sanguini erumpenti, vomitumque sopierunt. Omnibus audacter dedi purgans salinum: purgabatur congrumatus sanguis ater, viridisque bilis cum levamine.

Rheuma. Medias vero inter febres biliosas inflammatorio rheumaticae non infrequentes fuere. Fors accusanda venit aëris constitutio a medio mense humida et frigidior post tam diuturnum calorem et siccitatem.

Dolores his vehementes in aliqua corporis parte, saepissime exteriori: febris continua continens, primae viae purae, pulsus celer durus. Nulla hic mora, sed venaesectione saepe repetita, decoctis emollientibus cum sambucinis et nitro statim ab initio succurrendum erat: vesicantia, parti dolenti applicata, medelam multum adjuvabant.

Aegri nosocomii. In nosocomium per hunc mensem quadraginta quinque admissi, totidemque, ne-

nemine mortuo, inde sunt egressi: nimirum quartuordecim viri acutis morbis laborarunt, et octo foeminae: Novem viri et quatuordecim foeminae chronicis et chyrurgicis morbis affecti venerunt.

Admissi morbis laborabant sequentibus: Febri continua remittente biliosa cum nervosis affectionibus quatuor foeminae, et vir unus; febre ardente biliosa inflammatoria viri septem: peripneumonia duae foeminae et vir unus: haemoptysi foemina, dyarrhaea vir, febre rheumatica viri duo, ophtalmia rheumatica vir unus, erysipelate duo, febre puerperali foemina: febre tertiana viri duo, duae item foeminae; febre depascente vir et foemina; gravidae tres feliciter enixae, epilepsia foemina una, scabie duae, scorbuto una; scrophulis vir unus: tinea unus, lue venerea unus et tres foeminae: fluore albo benigno una: hernia denique vir unus.

Febres remittentes stipatae phoenomenis supra descriptis, eadem quoque methodo sanabantur. Emeticum ex aquae fontanae unciis sex et quatuor granis tartari emetici cochleatim exhibitum ad tres quatuorve vomi-

mi-

mitus pro ratione ejectae bilis excitandos, dein decoctum hordei cum aceto, praeterea, si hypochondrium, si lingua et gustus nidulantem in primis viis materiam proderent, drachmae duae vel tres arcani duplicati per diem omnem medelam ad finem usque faciebant. Ad vires restaurandas infusum quoddam amarum v. g. radicis valerianae datum et nervos composuit, et virium recrementum adjuvit.

Queis aderat phlogosis, qua tertiana intermittente laborantes liberi non erant, hi vanaesectionibus egebant. Binos tertiana exquisita laborantes ardor vehemens et cephalalgia, pectoris oppressio, et tussis sicca multum affiixere. His stante paroxysmo cum delirio, pulsu existente duro et compresso venam secui: crusta operuit sanguinem: Sequens paroxysmus multo fuit mitior, et salinis continuatis frequentior alvus, unde brevi convaluerunt.

Causus. Circa medium mensem quidam ex iis, qui in fervidissimo aestatis calore iter ex Walachia huc fecerant, nunc per septimanam in squalidis carceris tenebris detenti, acutissima laborare febri, vero cau-

so,

so, vel febri ardente Hippocratis incepe-runt, quae propter symptomatum vehemen-tiam, et celeritatem decursus peculiarem meretur descriptionem.

Undecima nempe Julii tres horripilare, de capite conqueri, noctu exaestuare, per-vigilare.

12. Julii, 2. morbi die duo transportan-tur ad nosocomium. Primus erat vir ro-bustus quadraginta quinque annorum ni-gri color: alter debilior annorum viginti tri-um, albidus: uterque de dedolatione mag-na, de cephalalgia, et pectoris oppressione conqueritur: pulsus est mollis, flaccidus, celerrimus, lingua tota quanta alba, fa-cies flavescens, os amarum, labia pallida.

Dantur iis drachmae duae arcani dupli-cati, et decoctum hordei pro potu liberali-ter. Primus purgabatur per diem et noc-tem decies quinquies, alter duodecies; uri-na utriusque noctu largum deponit sedi-mentum lateritium.

13. — 3. Nullum levamen, oppressio maxima, gustus oris amarus, vomituritio con-

continua, lingua albo fusco muco dense obducta, facies flavescens, oculi luridi, respiratio anxia, frequens; vires magis magisque fractae, pulsus celerrimus, mollis, debilis. Secundus praeterea vomitat aeruginose.

Utrique dabam emeticum: vomitus inde copiosi aeruginosi, fusca materies ejecta, alvus etiam frequens absque levamine. Urina primi fusca, secundi lateritia.

14.—4. Vomituritio continua, et vomitus: oculi tristes, cephalaea, oppressio et dolor pectoris, respiratio anxia frequens, pulsus mollis, flaccidus. Inflammationem metuens, venam seco utrique: Sanguinem crusta tegit spissa tenacissima; levamen. Primo ob insurgentem pectoris dolorem et cephalaeam venaesectionem repeto: crusta rursus, et levamen.

15.— 5. Primus caput habebat liberum, color oculorum ut heri, albuginea angulo interno proxima flavescebat, lingua purior, nisi quod hinc inde flavus ei mucus adhaereret; pectus erat liberum, respiratio facilis, minus frequens: hypochon-

dria

dria tumida, ad attactum dolentia, vomitus continuus ab omnibus, quae sumit, aeruginosus, amarus, alvus per diem quater, urina fusca, pulsus celer, mollis, debilis. Dabam ipsi omni hora vasculum decocti salep et pro potu decoctum hordei.

Secundus noctu habebat insomnia terrifica, caput dolebat adhuc et pectus, oppressio simul et vomituritio. Hinc secundam instituo venaesectionem. Sanguis tarde effluit, crusta tamen tenaci tegitur; dolor mitigatur. Meridie vomituritio continua; evomuntur viridia, fusca bilis porracea, manus pedesque frigere incipiunt, pulsus mollis deficiens, oculi tristes, caliginosi, semimortui; facies collapsa.

Praeter decoctum Salep, quod mane omni hora vasculatim coepit sumere, dabam ipsi infusum florum chamomillae calidum cum syrupo menthae, ventrique cataplasmata emollientia applicabam. Inde brevi redit calor, nox tranquillior, nec vomitu interrupta.

16 — 6. Primus a priori nocte continuo sudat: caput ipsius liberum est, et pectus; oculi vividi, ad angulos internos minus flavi; nullus vomitus: lingua pura, humida, ad margines solum pauco muco obducta, gustus oris non amarus: hypochondria vero adhuc elata, ad attactum dolentia, urina fusca, alvus bis cocta; pulsus mollis, elatus, lentus: Indesinenter sumit decoctum Salep: continuantur cataplasmata emollientia abdomini applicata. Nox tranquilla cum copiosissimo sudore, urina minus fusca.

Secundus quoque sudavit continuo, alvum ter habuit coctam: facies adhuc tristis, lurida, lingua albescens humida, pectus et respiratio bona, abdomen collapsum, indolens ad attactum, pulsus mollis, flaccidus, celer; artus tepidi, et humidi, urina statim turbida, sedimentum album tarde in fundum dejicit. Continuat cataplasmata, et decoctum Salep.

17.—7. Uterque bene se habet: facies colorata, oculi puri, lingua pura, humida, parum mucosa, respiratio bona, pectus liberum, hypochondria mollia, indo-

dolentia: alvus semel, pulsus naturalis lentus vigorosus, urina flavicans naturalis. Continuantur cataplasmata, decoctum salep et dococtum hordei.

18 — 8. Omnia bona: seponitur ulterior medicamentorum usus; appetitu redeunte cibi molliores comeduntur.

Secundus morbo liber manet et vigesima sexta Julii sanus e nosocomio dimittitur. Primus vero

22. Julii, 12. prioris morbi die mane rubet valde et calet, pulsu tardo, lento, elato: Fames interim magna; vesperi vero febricitat cum vehementi cephalalgia: nox inquieta.

23 — 13. Febris continua, cephalaea maxima, pulsus celer durus: venaesectio: sanguis crustaceus: cephalaea inde minor, sed os amarum, abdomen dolet inflatum. Eccoproticum datum alvum non solvit. Nox inquieta.

24 — 14 Eadem. Dantur nunc unciae duae salis amari; inde alvus decies, et uri-

urina statim sedimentum album deponit cum febris imminutione: nox tranquilla cum sudore.

25. 15. Febris nulla amplius.

Sanitas dein indies confirmata nullo turbata incomodo. Vigesima Augusti sanus e nosocomio dimissus est.

Tertius, qui eadem, qua duo priores die laborare inceperat, secunda die domi mansit, iisdem malis detentus. Tertia die post in nosocomium delatus est. Adolescens robustus viginti duorum annorum: conquerebatur de cephalaea, vertigine, insomniis et dedolatione maxima. Pectus erat anxium, respiratio celerrima, os amarum, vomitus frequens porraceus; pulsus celer, mollis, debilis. Datur ipsi eadem die arcanum duplicatum et decoctum hordei. Noctu haemorrhagia narium.

4. morbi die: Symptomata hesterna; haemorrhagia narium unciarum decem. Venaesectio fit: sanguis crustaceus. Aqua emetica: emeses sex bilis porraceae: melioratio: vesperi oppressio paulo levior: re-

spi-

spiratio minus celeris, pulsus mollis, creber, hypochondria dura: somnus tranquillus cum sudore.

5. Sudor copiosus, urina sedimentum album deponit, lingua pura; omnia bona; non sumit nisi decoctum hordei.

6. Sudor continuat, cephalalgia nulla, respiratio libera, hypochondria mollia; appetitus; lingua humida, tota albescens, pulsus celer, mollis, alvus nulla. — decoctum hordei.

7 Nox bona: facies sana, lingua flavo muco inquinata, pectus liberum, abdomen in regione pubis dolens, et hypochondria tumidula, pulsus celer, mollis, elatus, urina fusca: dantur drachmae duae arcani cum decocto hordei. Alvus a meridie quater cocta cum euphoria.

8 Hypochondriorum elatio: lingua muco flavo tecta, omnia alia bona: repetuntur medicamenta hesterna: alvus ter per diem.

9 Febris nulla, hypochondria mollescunt, mucus linguae minor: eadem medicamenta, alvus ter.

10. Omnia bona: sanitas perfecta, fames magna.

23. Julii, 13 morbi primi die febris a meridie vehemens, cephalaea, oculi flavicantes, vomituritio, haemorrhagia narium.

24. — 14 Eadem. Sumit aquam emeticam: vomitus sex bilis aeruginosae.

25. — 15. Febris minor, os amarum, lingua flavo muco foeda, urina fusca. Sumit drachmas quatuor arcani cum decocto hordei: alvus quater.

26. — 16. Febris adhuc, et lingua flava; alvus ter: continuat hesterna remedia.

27. — 17. Mane febris nulla, vesperi febris cum sudore; urina sedimentum lateritium deponit; alvus ter: priora remedia.

28. — 18. Febris fere nulla amplius, lingua purior: omnia sana. Continuat arcani duplicati drachmas quatuor cum decocto hordei.

29 — 19. Febris indies minor, lingua purior: eadem medicamenta: alvus indies ter quaterve. Trigesima prima Julii a febre liber ore purissimo abstinuit a medicamentis, carnesque comedit. Sanatio constans. Sexta Augusti sanus nosocomio valedixit.

Decima tertia Julii advenerunt in nosocomium duo alii eodem morbo laborantes. Prior juvenis viginti trium annorum, robustus, duodecima Julii incepit febricitare: Cephalalgia vehemens, dedolatio maxima, facies oculique flavicantes, vomituritio continua, os amarum, lingua flavo muco dense obtecta, pectus anxium sine tussi, respiratio celeris, pulsus celer, flaccidus, mollis. Vesperi datur ipsi arcanum duplicatum.

14. Julii, 3 morbi die: Eadem symptomata: aqua emetica excitantur vomitus octo porracei cum levamine. Oppressione pectoris persistente venaesectio bis eadem die administrata, cum levamine oppressionis. Sanguis valde crustaceus.

15. — 4. Sudor magnus copiosus; vomitus semel spontaneus: urina cum sedi-

mento lateritio: omnia mitiora: sumit copiose decoctum hordei.

16. — 5. Nox optima: oculi vividi, facies florida, abdomen collapsum, lingua albida, os purum, nullus amaror, appetitus redit; alvum ter habuit coctam.

17 — 6. Sudor adhuc noctu; febris nulla amplius, pulsus naturalis; omnia sana.

Sanitas perfecta mansit et constans viribus cito recuperatis, ita ut vigesima septima Julii sanus ex nosocomio dimitteretur.

Quatuor dierum spatio morbus hic terminabatur.

Alter adolescens annorum viginti unius et diutius, et vehementius laboravit. Decima tertia Julii vesperi venit in nosocomium: magna virium prostratio, facies et oculi flavi, caput vertiginosum, os amarum, lingua flavo albicante muco conspurcata, continuum vomendi conamen, respiratio frequens, anxia, hypochondria elata et ad attactum dolentia. Data ei aqua laxativa. Noctu decies quinquies alvus.

3. morbi die. Hesterna symptomata, nullum levamen, urina fusca, biliosa, pulsus celer, mollis, flaccidus. Porrigitur ipsi aqua emetica: Vomitus inde sex bilis aeruginosae cum glutine et striis sanguineis: alvus decies. A meridie nullum adhuc levamen ab hac evacuatione duplici, caput vertiginosum, dolens, pectus anxium, pulsus celerrimus, flaccidus. Vena secatur. Sanguis valde spissus, crusta larga tectus. Levamen. Noctu haemorrhagia narium unciarum sex.

4. Caput liberius, os purum, lingua albescens, pectus anxium, hypochondria elata dolentia. Venaesectio adhuc unciarum octo. Cruor dissolutus crusta viridi tectus. Levamen: alvus bis post venaesectionem, hypochondria molliora et minus dolentia. Vesperi sudor largus cum levamine multo. Continuo sumit decoctum hordei.

5. Cephalalgia quidem nulla, pectus liberum, hypochondria quoque mollia; sed facies et oculi flavicantes, lingua sicca spissa, rubella cum sicco muco albido, sitis, somnolentia, pulsus celer, mollis, frequens: uri-

urina fusca biliosa: alvus bis mane. Integra die sudor, vesperi horripilatio, frigus, dein calor cum largissimo sudore postridie durans. Continuavit decoctum hordei.

6. Caput obsessum, lingua et dentes muco fusco sordentes, os amaricans, sudor continuat antemeridianus, pulsus celer, mollis, elatus, pectus et respiratio libera, hypochondria elata, urina fusca biliosa, alvus ter. Sumit decoctum hordei cum drachmis tribus arcani duplicati. A meridie cephalaea et delirium, calor maximus, pulsus celerrimus, elatus, durus. Vena secatur: sanguis educitur ad uncias decem crustaceus. Augetur salium dosis ad unciam dimidiam cum uncia mannae: hinc alvus sexies. Nox tranquilla cum sudore.

7. Sudor copiosus: urina sedimentum deponit album: hypochondrium molle est, et lingua minus sordida, pulsus celer mollis. Repetitur decoctum hordei cum drachmis tribus arcani duplicati. Alvus ter.

8. Nullum febris vestigium: pulsus naturalis, omnia sana sunt: appetit. Perstat in sanitate ad vigesimam quintam Julii, quae

quae est decima quarta morbi, qua febris recurrit absque causa valde vehemens: cephalaea, anxietas, dolor pectoris. Vena secatur. Crusta decumana tegit sanguinem sero prorsus carentem: aliquantum inde levaminis. Vigesima sexta repetitur venaesectio: eadem crusta; seri tantillum exit cum sanguine, levamen. Ab aqua laxativa sexies alvus biliosa oritur: noctu sudat. Vigesima septima Julii febris minor, sudor continuus: Vigesima octava liber omni febre, sensim reconvalescit, sanitate permamente. Decima Augusti sanus e nosocomio discedit.

Docet haec historia, quam denso sub involucro latere possit inflammatio, ita ut sanguis dissolutus aliquot diebus post densissimam phlogoseos tenacitatem acquirat et phlogosis praesente licet omni bilioso putridoque apparatu primaria sit morbi causa, quae praecipuam medici curam exposcat. Vident denique practici, quam paucis in morbis utut vehementibus indigeamus pharmacis, modo exhibeantur selecta, loco et tempori accomodata.

Advenerunt decima quarta Julii iterum tres alii eadem febre laborantes, iisdem affecti symptomatibus, eademque sanati medela. Duobus ter vena fuit secanda, tertio semel, cum natura huic benignior per haemorrhagiam narium medici operam praevenisset. Omnibus emetico eduxi copiam nidulantis aeruginosae bilis, quae et sanguinem, et pectus, abdominisque viscera inflammaverat. Felix eventus coronavit medelam.

Febrim hanc fuisse causum evidens est, et quidem causus cum inflammatione pectoris, et viscerum abdominalium. Maximo gaudio simillimam a Burserio factam hujus febris descriptionem video.

Titubans nec sine magna anxietate primo aegro venaesectionem administravi. Pulsus enim omnino collapsus, facies flava, tristis, et lurida, vomitus continuus aeruginosus, alvus quoque porracea dyarrhaeica biliosi certe putridique status potius, quam inflammatorii signa erant. Cum vero considerarem humores juvenilis corporis in sicco calidoque aëre in inflammatoriam potius abire diathesim, quam putridam di-

dissolutionem, simulque novissem, quam miros et fallaces viscera abdominis inflammata soleant effectus producere, nec ignorarem respirationis celeritatem inflammationis potius quam dissolutionis putridae signum esse; tandem ausus sum venaesectionem instituere, pulsum et sanguinem profluentem continuo explorans, ut effectum inde secuturum in instanti dijudicarem. Summopere gavisus sum de judicio recte formato, simulque mihi de secura omnibus deinceps medendi methodo feliciter detecta gratulatus.

Foemina annorum tringinta unius, fibrae debilis, a juventute epilepticis insultibus obnoxia, quorum ortum a terrore repetebat, nunc ab anno eos sensim frequentiores patiebatur, ita ut nunc fere quotidie terribili hoc morbo cruciaretur nullo malorum, quae eum comitari solent, exempta. Decima octava in nosocomium suscepta est. Menstrua a quatuor jam mensibus non fluxerant: auctam ab eo tempore epilepsiam affirmabat. Facies erat pallida, cor palpitans, pulsus tremulus saepe intermittens, a minimo motu terror, qui eam in convulsionem et epilepticum insultum prosternebat, ore spu- Epilepsiae historia.

spumantem, digitis validissime contractis, oculis contortis, omnique sensu privatam.

Dabam ipsi pulverem radicis valerianae silvestris ad drachmas duas, et camphorae grana sex partitis vicibus per diem: adhibebam praeterea pediluvia calida, et ad femora interna vesicantia ad menstrua revocanda.

Elapso octiduo epileptici insultus et rarius et minus vehementer irruebant et minus erant diuturni. Post duas septimanas exanthema pustulosum pruriens hinc inde apparebat, insultibus nunc multum minutis. Acrimoniam exanthematicam fors morbi causam in cute propullulaturam sperans, addidi priori medicamento drachmas duas florum sulphuris per diem sumendas.

Eruptio pustularum rubrarum leviter suppurantium hinc inde et herpeticarum in dies sequebatur copiosior. Post tres septimanas non amplius quotidie, sed omni biduo vel triduo revertebatur epilepsia minor. Quarta septimana vix elapsa nullus

am-

amplius rediit paroxysmus, menstruis licet emanentibus.

Exanthema duravit per sex septimanas: hinc inde et ulcuscula suppurarunt: continuavi pulverem ex floribus sulphuris, radicem valerianae, et camphoram per duos menses. Nullum amplius insultus cujusdam indicium. Retinui aegram in nosocomio ad quartam octobris usque, visurus, an toto hoc tempore aliquis rediret insultus, sed plane nullus apparuit.

Interim et exanthema sensim sanabatur balneis calidis cum hepate sulphuris praeparatis, et prioribus remediis continuatis. Versus medium Septembris ab omni medicamento abstinuit, menstruis copiosis redeuntibus. Libera hucusque mansit, et dum multo post haec scribo, sanissima est, ne ullo quidem amplius paroxysmo turbata.

Mortui hoc mense in civitate 1488.

AU-

Barom.			Therm.	Venti.		
Dies.	alti. med.		gradus medius.	manc.	meridie.	vesperi
1	27 dig. 10	lin.	+ o 19¼ gradus	o	N. p.	o
2	— — 10⅓	—	+ o 15½ —	o	W. p.	N. p.
3	— — 10⅓	—	+ o 16¼ —	o	o	o
4	— — 10	—	+ o 16 —	o	W. p.	W. p.
5	— — 11¾	—	+ o 16¼ —	N. p.	N. p.	o
6	— — 11½	—	+ o 18⅔ —	o	N. p.	o
7	— — 10¼	—	+ o 20 —	o	W. p.	o
8	— — 10⅔	—	+ o 18 —	W. m.	W. f.	W. m.
9	— — 10¾	—	+ o 20½ —	o	W. m.	o
10	— — 10	—	+ o 19⅔ —	o	N. f.	o
11	— — 10¾	—	+ o 18 —	N. p.	o	o
12	— — 11	—	+ o 17½ —	N. p.	N. p.	N. p.
13	— — 10¾	—	+ o 17¼ —	N. p.	o	o
14	— — 10¾	—	+ o 15⅔ —	o	o	N. p.
15	28 — o	—	+ o 15⅔ —	o	N. p.	N. p.
16	27 — 11⅔	—	+ o 17 —	o	o	o
17	— — 10½	—	+ o 17¾ —	o	S. p.	o
18	— — 9¾	—	+ o 16⅓ —	o	o	W. p.
19	— — 10¾	—	+ o 15½ —	W. p.	W. f.	o
20	— — 10¾	—	+ o 16⅔ —	W. p.	o	W. p.
21	— — 11	—	+ o 17¼ —	W. m.	W. p.	N. p.
22	— — 9¾	—	+ o 16½ —	o	o	o
23	— — 11½	—	+ o 14¼ —	o	N. m.	N. p.
24	— — 10½	—	+ o 16⅓ —	N. p.	N. p.	o
25	— — 10⅓	—	+ o 18 —	o	o	o
26	— — 10¼	—	+ o 20¼ —	o	o	o
27	— — 9¼	—	+ o 20½ —	o	S. p.	o
28	— — 9⅔	—	+ o 16¼ —	o	o	W. f.
29	— — 10½	—	+ o 13¾ —	W. f.	W. p.	o
30	28 — o	—	+ o 14¼ —	o	o	o
31	— — o⅓	—	+ o 15 —	W. p.	W. m.	W. m.

Die 31 altitudo max. = 28 dig. 1 lin.

Die 27 altitudo minima = 27 dig. 8½ lin.

Differ. = o — 4½ lin.

Die 26 calor max. = + o 24 grad.

Die 23 calor minimus = + o 12½ grad.

Differ. = + o 11½ grad.

Tem-

Tempestas hoc mense varia fuit: primi undecim dies calidi et sereni: ab undecima ad deciman quintam mox pluvia mox serenitas: duodecima mane tonitru: ad decimam octavam coelum serenum: decima nona pluvia: vigesima, vigesima prima et secunda coelum serenum, vigesima secunda vesperi pluvia copiosa: a vigesima tertia ad vigesimam septimam serenum: vigesima octava vesperi pluvia: ad finem dein usque coelum serenum.

In nosocomium per hunc mensem triginta octo admissi sunt, novemdecim viri totidemque foeminae. Ex his viri novem et undecim foeminae acutis morbis laboraverunt; reliqui chronicis et chirurgicis morbis affecti erant. Mortui ex his duo: Hinc decimus nonus quisque mortuus est.

Summa particularium morborum sequens erat: Dyarrhaea, ac dysenteria laborarunt tres viri, tresque foeminae; febre bilioso inflammatoria unus; biliosa pura viri tres, et quatuor foeminae; pleuritide ut plurimum rheumatica vir unus et quatuor foeminae; carditide summe inflammatoria unus; erysipelate duo viri; hysterica passi-

ſione foemina; epilepſia vir unus, hydrope duo; ſcorbuto unus et una foemina; ſcabie unus, et duae foeminae; ſcrofulis binae foe- et vir unus: lue venerea duae foeminae: tinea vir unus, contuſionibus denique unus.

Dyarrhaea. Morbi pauciores hunc menſem iique fere omnes bilioſi generis diſtinguunt. Eminuerunt ex iis dyarrhaeae et dyſenteriae. Erant eaedem vel ſimplices cum frequentiori torminoſa alvo, vel vehementioribus deſaevientes ſymptomatibus, febre fortiori, laſſitudine majori, alvo ſanguinea et teneſmoidea.

Simplicium dyarrhaearum comes febris erat mitior: os aegris paſtaceum, amarum, lingua albo flavicante muco ſordida; dolebant e praecordiis, inteſtina convellebantur torminibus, pulſus celer erat, velox, ſaepe et compreſſus.

Omnes hi aegri citiſſime ſanabantur pulvere rhei ad drachmam ſemis veſperi et mane ſumpto, exhibita deinde aliquot horis poſt ultimam rhei ſumptionem mucilagine gummi arabici, cujus cochlearia duo omni hora aegris ſumenda erant. Duae

isti-

istiusmodi exiguae rhei doses usque ad vesperum per alvum educebant biliosam materiem, et tribus quatuorve horis post dyarrhaeam omnem compescuerant, attonitis saepe aegris a dyarrhaea tam subito fugata sibi male metuentibus.

Qui graviori conflictabantur dysenteria, pulsum habebant velocem et contractum, torminibus multis iisque scindentibus, et perpetuo excruciabantur tenesmo: sanguis initio muco foetido mixtus dein et purus alvo frequenti ejiciebatur, lingua, ut in prioribus, muco flavo albo tenaciori coinquinata, os pastaceum et amarum, aliqui bilem aeruginosam evomebant.

Bilem corruptam, acrem, fors et liquorem intestinalem acrem hujus morbi causam esse arbitratus, a purgantibus diluentibus curam incepi: dedi omnibus aegris rheum ad drachmam semis vel scrupulos duos binis tribusve vicibus omni quadrihorio. Praeterea clysmata mere mucilaginosa, ad inviscandos inflammatos et exulceratos intestini recti parietes, utpote veram tenesmi causam, omni bihorio injecta sunt.

Hac

Hac methodo biliosae cruditates copiosiori quidem, sed minus frequenti alvo eductae sunt, et tenesmus post tertium quartumve clysma, saepe etiam paulo post primum quievit. Dolor nunc cardiae, ventrisque leniri coepit et oris redire puritas. Dein ad inflammatas intestinorum partes demulcendas, et acre restitans involvendum, mucumque abrasum restituendum, dabam decoctum emolliens ex radice Salep vel Altheae, aut mucilaginem gummi arabici. Secunda modo hujus curationis die morbus vix non integre depulsus erat: tertia vero ne vestigium quidem illius remanserat.

Febris biliosa.

Praeter dyarrhaeas et dysenterias febris sic dicta biliosa frequentissimus hujus mensis morbus fuit. Erat ea vel biliosa pura, vel bilioso-pituitosa, bilioso-inflammatoria, bilioso-rheumatica.

Cum inflammatione.

Bilioso inflammatoria desaeviebat vehementius, et remediis tardius locum faciebat. Aegri ex capite plerumque dolebant acrius, oppressio, dolorque pectoris, oculi rubentes, calor intensus cum pulsu celeri veloci duro. His sanguinem oportebat extrahere iterum, saepe iterumque, dein dare

vo-

vomitorium, quo bilis aeruginosa per emesin et alvum educeretur. Dolor capitis vehementior vesicans ad partes vicinas requirebat; nervorum affectiones levi camphorae vel moschi vel castorei dosi bis vel ter per diem exhibitae brevi cedebant: Ante undecimam diem vix crisis erat perfecta.

Seniores bilioso pituitosa laborantes, vomitoriis adjuti cito copiosam bilem pituita mixtam ejiciebant. Qui meticulosi incidentibus potius et eccoproticis curam tentabant, ab emetico abhorrentes, aegros suos in diuturna mala praecipitabant: Varii enim morbi a bile intimius nidulante tenaci et acriori reddita, febris lenta continua, inflammationes subdolae in visceribus nobilioribus, vel depositiones in caput pectusve oriebantur, unde appoplexiae, orthopneae, hydropes pectoris, aliaque mala tandem immedicabilia aegros saepe subita morte abripiebant. Cum pituita.

Omnibus his malis initio levi negotio occurrebatur uno vel altero emetico, quod tenacem pituitam una cum bile acri educens, citissime morbum terminabat. Observatione vero multiplici expertus sum, senes et

facilius vomere et ab emesi levamen citius sentire iunioribus, quorum orgasmus majorque sensibiltas aegrius convulsivam hanc expulsionem ferunt, et venae bibulae irritabiliores materiam morbificam semel assumptam humorum massae facilius communicant.

Cum cephalaea. Capitis dolor vehementior praecipuum adhuc et urgentissimum symptoma fuit in morbis biliosis. Dolor hic verticem et occiput occupabat oppressivus, instar gravis ponderis capiti impositi, idque continuo prementis: remittente vero febri minus gravabat, etsi nunquam penitus desineret. Post meridiem paulatim auctus, circa vesperum vehementissimus, noctu cum sudore remittebat. Venaesectio nihil attulit levaminis, sanguis tenuissima crusta tectus erat: pulsus medio in paroxysmo, et vehementissimis capitis doloribus tardus, lentus, vix quadraginta ictuum in minuto. Vesicantia quidem nuchae applicata leniebant dolorem: plurimum vero levaminis dabant vomitoria et continuata dein lenia eccoprotica atque solventia cichoreata, quibus continuatis cum dolore febris sensim penitus subigebatur.

Ver-

Versus medium mensem rheuma plures afflixit. Tempestate enim frigidiori et pluviosa, transpirationem inhibente, sudantia corpora subitaneo saepius frigidoque vento inhorruere.

Pleuritides omnes rheumatici generis erant: dolor lateris punctorius, extensior, attactu auctus in ejusdem lateris artus pervadebat. Venaesectione sanguis educebatur crusta densa flavaque obductus. Binis saepe, raro tribus venaesectionibus opus erat: Decocta saponacea, salina cum roob sambuci alvum cum euphoria purgabant, aperiebantque poros cutis salubri madore. Unciae binae radicis altheae in libris tribus aquae coctae ad remanentiam librarum duarum, in quibus sesquiuncia pulpae tamarindorum et roob Sambuci atque uncia semis salis mirabilis Glauberi solutae fuerant, optimum praebebant medicamentum, cujus unciae binae omni bihorio sumendae erant. Alvus inde ter, quaterve solvebatur, transpiratio levans erat copiosior, et morbus cita, facilique crisi ante quintam plerumque diem integre sanatus. Pleuritis rheumatica.

In foemina quadam dolor pertinacius lateri infixus haesit; Vesicans loco dolenti applicui: Elevata vix erat vesica, cum omnis dolor remitteret.

Carditis Carditis vehementissima quendam afflixit lethaliter. Vir erat laboribus exhaustus, quinquaginta trium annorum: hic secunda Augusti febricitare coepit cum tussi molesta sicca, dolore lateris sinistri anterioris prope ultimas costas veras, oppressione pectoris et dedolatione maxima. Tulit aeger malum indies auctum triduo absque ulla medela. Quinta Augusti in nosocomium mittitur.

Conqueritur de dolore pectoris oppressivo, quasi pondus medio sterno adjaceret, de vehementi lateris sinistri dolore punctorio: tussis simul aderat frequens sicca: respiratio anxia et suspensa ob dolorem; pulsus celer, mollis; os amarum, vomituritio continua, lingua flavo muco obducta; hypochondria libera.

Inflammationem vehementem una cum bile acri tragoediam hanc ludere suspicatus, illico largam feci venaesectionem, et cataplas-

plasmatibus calidis emollientibus pectori applicatis, exhibui largum potum tepidum saponaceum salinum. Crusta coriacea tegebat sanguinem.

6. Aug. 5. morbi die. Purgaverat noctu ter: lingua erat purior, os minus amarum, vomituritio nulla amplius; sed dolor, tussis, anxietas perseverabant. Repetitur venaesectio; crusta iterum; levamen inde per aliquot horas: Nox tranquillior.

7. — 6. Eadem adest in respirando anxietas et oppressio; facies rubescit, aeger tristis anxiusque medelam petit, omni momento situm mutat, in sinistro vero latere sine majori anxietate nequit decumbere, pulsus celer, mollis, et flaccidus est: symptomata biliosa omnino disparuerant.

Certus de inflammatione nobilissimi visceris, cordis, et de funestissimo aegri statu omnem apparatum antiphlogisticum simul et resolventia adhibeo remedia. Denuo hinc venam seco: do decoctum tamarindinatum cum nitro et oxymelle, vapores aquae calidae aceto addito inspirantur, cataplas-

ma-

mata continuo. Nullum levamen: Tussis noctu vehemens, sicca.

8.—7. Eadem. Venaesectio quarta vice iteratur: crusta denuo: levamen. Circa vesperum exasperantur omnia. Venaesectione unciarum quatuor sanguis dissolutus, nulla crusta tectus educitur. Levamen tamen aliquod per aliquot horas.

9.—8. Sudor levis, anxietas eadem, dolor lateris minor, tussis sicca; urina continuo flammea. Pectori vesicansapplico.

10—9. Anxietas minor, sudor levis per duas horas, tussis eadem; pulsus paulo elatior.

11—10. Noctu nullus somnus, oppressio maxima, tussis continua, ardor siccus, pulsus denuo mollis, flaccidus, celerrimus.

12.—11. ad 16. usque nulla mutatio: alvus quotidie bis vel ter, tussis et oppressio continua, sudor rarus, lingua flavo muco sordida, urina flammea biliosa.

17.

17—16. Noctu stertor, virium collapsus. Vesicantia hinc ad suras applicantur. Camphora ad grana viginti per diem exhibetur.

19—18. Sudor exiguus oleagineus: stertor per duas tresve horas permanens.

21.—20. Stertor denuo magnus et vomituritio: venter inflatus, tumidus. Exhibetur solutio mannata cum sale: alvus inde quater biliosa: ventris nulla detumescentia.

22.—21. Vomitus spontaneus aeruginosus.

23.—22 Aquae emeticae parvam quantitatem sumit: vomit ter aeruginosam bilem: alvus quater biliosa: nullum levamen: meteorismus idem.

24—23 Eadem. Urina fusca sedimentum lateritium deponit, manet tamen opaca et fusca.

25—24. Stertor noctu maximus, continuus suffocationis metus. Augetur campho-

phorae dosis, exhibentur et kermes mineralis, et infusum stipitum dulcamarae, et quaecunque ex resolventium, incidentium, et leniter stimulantium classe supererant.

1. Sept: 31. Sputa pauca, mucosa: tussis, anxietas, meteorismus, summa debilitas.

2 — 32 Maculae latae lividae brachiis, femoribus pedibusque insident. Involvuntur artus mucilagine camphorata.

3. — 33. Urina continuo fusca opaca cum sedimento lateritio, alvus ter: reliqua eadem.

4. — 34. Respiratio cita stertorosa, pulsus rarus.

5. — 35. Frequens animi deliquium, anxietas continua, mens libera, debilitas per triginta sex dies omni momento major.

6. — 36. Mors tranquilla.

Aperto cadavere cavum pectoris integra seri mensura redundans. Pulmones valde parvi vix superiorem thoracis medietatem

tem implentes, flaccidi, lividi, variis in locis pleurae ligamentis a lympha coagulabili ortis accreverant. Lympha haec coagulabilis pulmones variis in locis circumambiens una cum sero extravasato cavum pectoris implebat. Pericardium amplissimum et crassum ac rubellum diaphragmati intime innexum erat: in eius cavo librae duae seri rubelli continebantur. Cor decumanum, alterotanto majus solito, sanguine vacuum, et intense rubrum, cujus superficiem integram magnae excrescentiae tegebant tenaciter eidem adhaerentes, a lympha coagulabili ortae. Viscera abdominalia cerebrumque sana.

En denuo inflammationem cordis et pericardii minus opinione vulgi raram. Mirum quidem videbitur quibusdam inflammationem nobilissimi visceris tam diu durare potuisse. Ast resolutionis tempore neglecto gangraena compescebatur generosiori antiphlogisticorum adhibitione. Hinc morbus in chronicum transivit malum, hydropem nempe pectoris: Cordis enim motus tenacibus adhaerentiis impeditus, pulmones etiam iisdem concretionibus pressi, pleuraeque agglutinati respirationis negotium indies minus

nus debite obibant. Fluidius denique serum exprimebatur in cavum, idquod pariter ad orthopnaeam lethalem augendam contribuit.

Probe recordor, me simul cum b. Stollio illustrem quendam Comitem, quem peripneumonia laborare judicabamus, curandum habuisse minus quoque prospero eventu; quinquagesima enim morbi die mortuus est. Vomicam suspicantes, cadaver secuimus, et ecce pulmonibus, visceribusque omnibus sanis pericardium ultra duas puris libras continebat apice cordis eroso et exulcerato. Eandem et hic aeger oppressionem in medio sterno senserat, eadem et huic in latus sinistrum decumbendi impossibilitas; pulsus quoque mollis, et flaccidus erat ab initio. Historiam hujus morbi diligentissime conscriptam a medicis assistentibus, qui omni hora diu noctuque per totum morbi decursum mutationes factas adscripserunt, fors aliquando typis mandabo, cujus lectio tametsi quibusdam ob continuas repetitiones ingrata videri possit, certo tamen lectu utilissimam arbitror, cum verissimam morbi hucusque minus cogniti imaginem ante oculos statuat.

Pu-

Puella viginti annorum florens torosa, septima Augusti absque causa cognita frigere coepit, horripilare per aliquot horas, dein calere, cum pectoris oppressione, respirandi difficultate, cephalaea, et frequentibus animi deliquiis. Sudavit nocte absque levamine. Febris biliosa cum scarlatino exanthemate

Octava iterum per vices frigescere, saepius calere, cum auctis hesterni diei malis.

Nona mane ad me venit, dedolationem magnam omnium membrorum patitur, caput valde dolet, facies rubet simul, et lingua humida muco albido flavescente in medio obducta; siti cruciatur, pondus in pectore premens sentit cum respiratione anxia: ad cardiam dolorem patitur ardentem, vel minimo etiam attactu ardentiorem: hypochondria libera sunt; pulsus celer elatus duriusculus: menstrua ad regulam nunc fluunt a biduo.

Do ipsi decoctum saponaceum cum sale ad purgandas primas vias: alvus inde ter a meridie movetur: nullum inde levamen. Sub vesperum anxietas et dolor pectoris pressorius vehemens, pulsus elatior, celerior. Vena sec-

ta

ta dat uncias decem sanguinis, inde levamen. Sanguis rubellus, laxioris consistentiae.

10. Aug. 4. Noctu multum sudavit aegra, bis habuit alvum; interim anorexia, os amarum, lingua ad fundum denso muco flavo griseo coinquinata; oppressio et anxietas eadem, pulsus celer, mollis, elatus, pedes continuo frigent.

Do ipsi aquam emeticam, vomuit inde cruda mucosa, quater simul habuit alvum.

Calor post emesin et sudor; durante sudore striae rubrae et voluminosae in facie, pectore, et abdomine efflorescunt scarlatini exanthematis instar, post duas horas iterum evanescentes.

11 — 5. Nox inquieta; calor per totum corpus aequalis, cum corporis madore continuo: lingua adhuc impura, pulsus celer, elatus. Sumit decoctum hordei cum aceto et arcano duplicato.

Alvum per hanc diem quater habet copiosam, biliosam: per diem frigent iterum pedes: menstrua silent ordinato termino.

Post mediam noctem sudor enormis cum somno pacato, et anxietate minuta.

12—6. Melius se habet aegra: anorexia quidem adhuc, et pectoris gravis anxietas, sed gradu multo leniori: pulsus celer, elatus, lingua laete rubra humida: pedum calor temperatus. Continuat prius medicamentum; quinquies purgatur cum euphoria.

13—7. Febris nulla amplius: facies laete rubet.

Abstinet ab omni medicamento.

Decima sexta sana exivit.

Febris haec biliosa purgari coepit exanthemate scarlatino, post sudore copiosissimo quinta morbi die oborto. Ast nondum penitus educta morbi materie remanebat anxietas et febris: tandem sexta per alvum copiosa bilis educebatur nunc cocta, fors et ex sanguine iterum huc delata. Jam febris fuit penitus terminata.

Casus sequens non parum ad historiam febris puerperalis conferre poterit.

Foe-

Foemina annorum viginti sex, fibrae tenerioris, et quatuor prolium mater, vigesima aprilis pepererat filium partu felici: Lochia initio sat copiosa sunt, sed pallidiora: sat bene valet puerpera, venter tamen tumet. Febris lactea mitissima est, mammis flaccidis et lacte renuenti fluere. Sexta die e lecto surgit, ventre tumido, fors et refrigeratur. Mox inde lochia remanent, accedit pectoris oppressio, dolor colicus cum maxima debilitate.

Sumit statim medicamenta purgantia et diluentia, sed absque effectu: lochia continuo remanent, eadem est pectoris anxietas, iidem colici ventris dolores. Febris est continua; accedit tussis sicca dolens. Varia nunc ipsi exhibentur remedia ex classe resolventium, incidentium, et stimulantium, sed omnia incassum. Purgatur quidem venter, qui inde etiam detumescit, sed dolores non minuuntur, tussis augetur, febris continua aegram valde lacessit, tandem accedit et lienteria.

Post duorum mensium aerumnas menstrua redeunt, fluuntque per sex dies parce et diluta: levamen inde quidem aliquod,

sed

sed omnino breve: omnia priora mala manent eadem: febris continuat aegram depascens. Accedit tandem et urinae stranguria, dysuria et mictus cruentus cum dolore lumborum atrocissimo.

Prima Augusti rogatus hanc aegram vidi macie consumptam et summe debilem: pulsus erat celerrimus, debilis, contractus: venter mollis et vacuus, sed ad minimum attactum valde dolens: dolores scindentes continui totius abdominis ad lumbos usque. Respiratio erat suspensa, celeris, anxia, pondus sentiebat aegra pectori incumbens: tussis erat continua sicca, urina sanguinea et alvus continuo lienterica.

Erat hic summa et universalis inflammatio cum universali fibrarum valde irritabilium spasmo. Uncias duas decocti radicis Salep omni hora exhibeo tepide, cataplasma emolliens calidum ventri applico, et enema emolliens singulis horis injici jubeo.

Nox melior prioribus: altera die aliquod levamen. Uncias quatuor sanguinis nunc educi jubeo: Crusta densa et contracta tegit cruorem: levamen inde. Eadem die re-

repeto venaesectionem ad uncias sex: eadem crusta: levamen inde maximum sentit aegra. Urina enim nunc naturalis exit absque sanguine, tussis silet, ventrisque dolor multum imminuitur.

Sic meliorabatur indies continuato emollientium usu ad septimam Augusti usque; cum sudor prodiret copiosus acidulus. In mentem venit aegrae, aliud induere indusium, induit, et refrixit in momento: redeunt dolores colici vehementissimi, et omnia priora mala, facies contracta hipocraticam aemulans. Extemplo emollientissima adhibeo tepida ore, alvo et extrinsecus. Venaesectionem instituo unciarum sex, sanguinis summe phlogistici.

8. Augusti. Melioratio. Dolores cessant, mollescit pulsus. Praeter emollientia nunc do mucilaginem gummi arabici cum laudano liquido. Noctu somnus tranquillus.

9 Oppressionem pectoris maximam sentit aegra, inpedite, celeriter, laboriose et inaequaliter respirat doloribus colicis libera, pulsus celer inordinatus inaequaliis est et compressus: Continuat priora medicamen-

camenta. Vesperi superficies pectoris valde prurit. Noctu sudor.

10. Continuante sudore acidulo miliaria rubra et alba maxima in copia prodierunt, urina sedimentum lateritium copiosum deposuit, alvus simul compacta, lactis coagula continens: nullus dolor amplius, et pectus liberum.

11 Febris fere nulla amplius: urina continuat sedimentum statim deponere, miliaria adhuc, alvus continuo frequens et acidum spirans cum coagulis albis, caseosis; menstrua copiosa, eadem coagula alba continentia. Perdurarunt criticae hae excretiones per sex dies. Vigesima Augusti aegra lectum primo deseruit. Rediit brevi appetitus et vigor corporis, valetudine integre restaurata.

En exemplum febris puerperalis per sedecim septimanas atrociter furentis, quae a puerperali causa suscitata ac fota fuit, a retento nempe lochiorum fluxu et impedita lactis elaboratione et exitu.

Aderat haec ipsa materialis causa post tantum temporis intervallum in corpore, sed exitum non inveniebat viis omnibus a spasmo inflammatorio clausis, quo soluto materiae morbificae liber nunc patuit exitus, rediitque sanitas citissime. Miliaria hic iterum se monstrant velut peculiarem febris puerperalis crisin, acidusque sudor et lactis coagula in alvo et menstruis palam ostendunt, non delirare penitus eos, qui peculiarem febris puerperalis causam in lochiis et lacte statuunt.

Non me latet, febres, quae puerperas saepius infestant, participare ut plurimum de genio regnantis morbi epidemici, imo quolibet mense novis id argumentis demonstrare possem. Ideo tamen adduci non debemus, ut febrim omnem puerperis propriam denegemus. Adest nimirum in puerperis proprius naturae motus ad uterum constringendum, ad sanguinem ex uteri substantia exprimendum et educendum. Hae functiones si perturbentur, peculiares inde morbi nascantur, necesse est.

Mortui hoc mense in Civitate 1531.

Barom.				Therm.				Venti		
ies. alti.	med.			gradus medius.				mane.	meridie.	vesperſ.
27	dig.	10	lin.	+	o	14½	gradus	W.m.	W. m.	W. p.
—	—	8	—	+	o	16	—	W.m.	W.m.	W.p.
—	—	5¾	—	+	o	14	—	W.p.	S.p.	o
—	—	7	—	+	o	12	—	o	o	o
—	—	9	—	+	o	13¼	—	o	o	W.m.
—	—	10¼	—	+	o	13	—	o	o	o
—	—	8¼	—	+	o	14	—	S.m.	o	o
—	—	6¼	—	+	o	14⅓	—	W.p.	W.p.	W.f.
—	—	11¼	—	+	o	11⅔	—	W.m.	W.m.	o
—	—	11⅓	—	+	o	11¾	—	W.p.	W.p.	W.m.
—	—	9¾	—	+	o	11¾	—	W.m.	W.f.	W.m.
—	—	11⅔	—	+	o	11¼	—	W.m.	W.m.	W.p.
—	—	11⅔	—	+	o	13½	—	N.p.	o	o
—	—	10⅓	—	+	o	15	—	o	o	o
—	—	10⅓	—	+	o	15¼	—	o	o	o
—	—	10⅓	—	+	o	16⅔	—	o	W.p.	W.p.
28	—	0¾	—	+	o	12¾	—	o	o	o
27	—	10½	—	+	o	12	—	o	o	o
—	—	11½	—	+	o	14	—	o	o	o
—	—	9¼	—	+	o	15½	—	S.m.	S.f.	S.m.
—	—	10¼	—	+	o	15⅓	—	S.m.	S.f.	W.f.
28	—	1½	—	+	o	10⅓	—	W.m.	W.m.	o
—	—	1½	—	+	o	10⅔	—	o	o	o
27	—	11⅔	—	+	o	14¼	—	o	o	o
—	—	10½	—	+	o	13	—	N.p.	N.p	N.f.
—	—	11½	—	+	o	7½	—	N.f.	N.f.	N.f.
28	—	1½	—	+	o	7½	—	N.m.	N.m.	o
—	—	0½	—	+	o	6⅓	—	o	S.p.	o
27	—	11¾	—	+	o	9⅓	—	S.p.	S.p.	S.p.
28	—	1	—	+	o	9⅓	—	o	o	o

Die 22 23 27 altitudo maxima = 28 dig. 2 lin.
Die 8 altitudo minima = 27 dig. 5 lin.

Diffe. = 0 dig. 9 lin.

21 calor maximus. = 0 + 20 grad.
ie 28 calor minimus = 0 + 4 grad.

Diffe. = 0 + 16 grad.

Coelum per totum mensem frigidur ut plurimum quidem siccum sed mane bula tectum, vigesima quarta, quinta, et ta pluviosum, reliquis diebus nubilum

In nosocomium per hunc mensem missi sunt triginta quinque: novemd viri et sedecim foeminae: Decem vir novem foeminae acutis, novem viri et tem foeminae chronicis et chirurgicis bis affecti fuerunt. Omnes sani exiver

Adultorum morbi elapso mense p fuerant, minusque periculosi.

Bilioſorum continuatio.

Initio mensis biliosae febres prio mensium continuant minori tamen nun et mitiori natura. Levi enim salino m camento expurgabatur bilis per alvum, ro opus erat emetico; et febris tertia, qua quinta vix ultra septimam diem finiebatur, vo dyarrhaeica, urina hypostasin facie et sudore liberaliori.

Febres catarrhales cum acrimonia biliosa pituitosa.

A sexta septembris febres acutae al induebant faciem. Catarrhales affectio immiscebantur cuique febri, coryza, o talmia, tussis catarrhalis et angina pi

tosa

a. Horripilationes frequentes quotidi-
ie cum caloribus vagis alternabant: lin-
erat albo muco sordida: sapor oris non
amarus, quam pastaceus. Interim dolo-
saepe colici, dyarrhaeae, et dysenteriae
us febris non infrequentes comites erant.

Perbelle transitum biliosarum febrium
atarrhales rheumaticas hac in febri lice-
perspicere, ultimos nimirum bilis acris
s et naturae molimina, tam ad bilem
m, quam ad nova, quae a frigido et ne-
oso aere oriebantur, mala subigenda, et
ellenda.

Utrumque malum nec vehementia exci-
t symptomata, nec pertinax erat. Su-
et alvo per aliquot dies liberaliori fe-
omnis erat edomita. Lenia salina et
entia medicamenta cum potn tepido li-
lius dato optime conducebant: quia bi-
ris et pituita illis cedebant, et inflam-
o catarrhalis imminuebatur; hoc vero,
et potu tepido, quae in vasis impacta
ebant, per poros cutis eliminabantur,
liebantur tenacia, et ad resolutionem
reddebantur. Raro venaesectione
erat, nisi et dolor acerbior et pulsus
du-

rior inflammationem majorem indicar
id quod in paucissimis contigit. Dyarrh
et dysenteriae solutione mannata vel
cocto tamarindorum brevi levabantu

Febres rheumaticae cum vel sine catarrhalibus.

Versus medium Septembrem sympto
tibus biliosis penitus evanescentibus r
maticae affectiones successerunt initio
tarrhalibus junctae, dein et solae dom
bantur.

Pectoris dolores, tusses, raucedines,
ritides, dolores capitis, ophtalmiae,
giae, odontolgiae, colicae denique et alv
stipationes rebelles, atque lancinantes
um dolores vel singulatim vel conjuncti
flixerunt eos, qui laxiore donati comp
frigido aëri se minus vestiti exposuera

Febris typum remittentis servavit,
nori tamen cum remissione: pulsus fuit
rumque elatus, celer, et durus, os sa
rum, uti et lingua, pro varia rheu
sede dolores varii.

Pectus tamen prae reliquis communi
fectum fuit pleuritide rheumatica freq
tiore. In his pulsus celer et durus, op

si

sio, respiratio dolens a punctorio lateris dolore, tussis sicca, dolor attactu auctus, saepe extensus.

Venaesectione sanguis educebatur coriaceus cum levamine semel vel bis instituta, calida cataplasmata multum leniebant dolorem. Dolor rebellis vesicatorio, loco dolenti applicato, ut plurimum cedebat, exhibito simul, et continuato copioso potu emolliente sambucino.

In colicis doloribus enemata emollientia et cataplasmata, nonnunquam et venaesectiones necessariae erant. Difficiles erant alvi ductiones, saepe ne dupla quidem purgantium dosis alvo promovendae sufficiebat. Pertinacior vero purgantium continuatio dolores augebat, veram creans enteritidem, nec tamen producebat expectatam alvum. Balnea tepida, clysmata continuata cum potu calido, spasmum sedando, et sudorem et alvum movebant, doloribus cito desinentibus. Decoctum malvae, in quo unciae duae mannae solutae erant, perutile se mihi praestitit.

In-

Intermittens nervosa.

Intermittentes tam tertianae, quam quotidianae, rarius tamen quartanae hoc mense observabantur.

In aegro quodam nervorum tremor, animi deliquia, cordis palpitatio paroxysmum quotidianum efficiebant, octodecim horas et amplius durantem: urina aquosa, alvus naturalis, lingua pastacea, mador sub finem paroxismi.

Postquam decocto radicis salep tumultus nervorum aliquomodo mitigati fuerant, dedi arcanum duplicatum ad drachmas duas per diem cum drachma florum salis ammoniaci et eleosacchari menthae, atque ter quaterve per diem tres uncias infusi radicis valerianae. Hac methodo alvus indies ter quaterve solvebatur, inordinatus nervorum motus quiescebat, et febris citissime depulsa est.

Haemorrhagiae quoque, haemoptyses, menorrhagiae, nariumque haemorrhagiae hoc mense frequentiores.

Seniculae cuidam melancholia diu languenti e nare sinistra sanguis subito effluit:

em-

embolum, quo obduraverat narem chyrurgus, ut ars beneficum naturae conatum non inhiberet, eximi jussi. Cum unciae sanguinis fere duodecim effluxissent, spongiis aqua aluminosa madidis ulteriori haemorrhagiae finem feci. Vetula per longum tempus solito jucundior mansit.

Non solum vero regnavit sed desaeviit Variolae. morbus variolosus, jam per aliquot menses urbem depopulatus. Paucos infantes discretae dimisere variolae, plurimi vero anomalis et confluentibus pessimae indolis poenas dederunt horribiles.

Die vix una decubuerant miselli, horrore, calore, capitis, dorsique doloribus ac vomituritione conflictati, cum postridie agmina pustularum erumperent, faciem pectus et universum corpus pustulis profuse rubris sine numero indesinenter succrescentibus occupantia.

Eruptionis festinationi non respondebat pustularum maturitas. Quinta sextaque post eruptionem die nullum adhuc aderat suppurationis indicium, sed plures pustulae in gangraenam abibant. Tumescebat

fa-

facies, ora adultiorum tenaci manabant saliva, juniores dyarrhaea torminosa affligebat. Pustulae e supperficie cutis vix prominentes tangenti digito sensum quendam arenae imprimebant. Cavum narium et oris, lingua, velum palatinum, fauces et cavum omne laryngis, pharyngisque pustulis consita turgebant.

Inflammatione et tumore harum partium vocis raucedo, tussis, deglutitio difficilis, orthopnaea et multa similia mala nascebantur.

Qui in lectis degentes fovebantur solicitius, majori indies pustularum numero cumulabantur loco nullo qui pluribus posset conseri superstite. Tumor faciei, simul et inflammatoria, et gangraenosa sanguinis diathesis indies augebantur, color cutis e rubro in ruffum nigrescentem atrumque abibat: moriebantur miseri vera suffocatione, et gangraena universali septimo, octavo, decimoque ab eruptione die.

Qui e contrario consueta frigidiori methodo tractabantur, lectis prohibiti aërique frigido expositi, sat bene quidem se habe-

bere et alacres videbantur: facies iis minus tumescebat, orthopnaea, etsi prae raucedine obmutescerent, vix laborabant; appetebant quoque, sed pustularnm variolosarum volumen manebat parvum: albescebat quidem earum cuticula, sed quae elevatae videbantur, vacuae erant, ita ut in nulla vel puris vel humoris guttula reperiretur. Gangraenosarum interim major indies pustularum numerus quae incisae sanguine dissoluto manabant. Versus undecimam ab eruptione diem stertor accedebat saepe subito cum tussi convulsiva et sensim manifestioribus convulsionibus. Mors dein duodecima, decima tertia vel quarta ab eruptione die, universo corpore nigro, pure saepius paulo ante vel post obitum ex oculis, naribus, auribusque effluente.

Epidemia haec variolosa simillima est ei, quam anno hujus saeculi trigesimo quarto desaeviisse illust. b. Swietenius observavit. Paeter consuetudinem mense Novembri prioris anni 1789. variolae discretae regulares hac in civitate ac suburbiis praeludebant: sequente Decembri augebatur aegrotantium numerus. Mensibus Januario, Februario et Martio hujus anni

re-

regulares et disjunctae manebant, aucto tamen indies aegrorum numero: Mense aprili non tantum aegrorum, sed et pustularum ut plurimum dissolutarum multitudo copiosior, regulariter adhuc percurrente morbo. Mensibus Majo et Junio confluentes irruebant, epidemia malignitate sua truculentior et copia moribundorum, mortuorumque major. In Junio atque Julio pustularum gangraenosarum majus indies incrementum: suppurationem procrastinatam putrida nunc excipiebat diathesis. Mensibus denique augusto et semptembri acmen videntur attigisse et confluentia et putrida indoles.

Interim qui ab inoculatione variolas patiebantur mensibus Majo, Junio et Julio perfecte morbum superabant, pustulis paucissimis, iisque ad votum et stato tempore suppurantibus.

Unde haec variolarum malignitas et putredo ortum traxerit, statu coeli alias non insalubri, explicatu difficile est. Culpam enim nec in calorem, nec in humiditatem aeris nec in alios regnantes morbos conjicere possumus.

In-

Insolita veris et aestatis siccitas calorque initio vehementissimus, tam frequens ventorum malacia per reliquos etiam aestatis et prioris autumni menses perdurans, post tantum veris calorem caniculari periodo aer frigidior id unum sunt, quod aeri culpae tribuere possimus.

Febres biliosae hoc tempore frequentes, frequentesque morbi ex raptu humorum ad encephalon manifesta sunt signa colluviei primarum viarum a bile et succis intestinalibus acrimonia corruptis, atque propensionis humorum ad stasin in cerebro. Huic conditioni universaliter existenti si morbus contagiosus peculiaris adjungatur, certe non potest morbosa conditio in corpore nullatenus otiosa in actum non duci, morbum novum imbuere sua indole, et ex hac conjunctione insolita pessimaque gignere symptomata: forsitan et talia corpora ad suscipiendum contagium variolosum magis fuerunt praedisposita.

Ast facta enarro, non solvo proplemata. Quae adhibuerim remedia, quam nocivam, quamque proficuam invenerim methodum, jam breviter expediam.

Quam

Quamprimum morbus hic in domo quadam vicina pedem fixerat, ut praesentissimum adesset periculum, ne eos, quos antea non afflixerat, jam jam corriperet, facilis ad praeparationem erat persuasio. Praeparatorum vero ne unum quidem vidi variolis obeuntem, etsi singuli confluentibus liberari non possent.

Corpora modo praeparabam sequenti: primas vias aliquoties depurabam eccoproticis purgantibus, alcalescentiam humorum putridasque primarum viarum sordes abarcere conabar per abstinentiam a nimio carnis usu: ad emolliendam corporis peripheriam, balneorum tepidorum usum suadebam, interpolatis etiam pediluviis tepidis, ad avertendum humorum raptum a capite, omnem denique usum spirituosorum praeprimis dissuadebam, ne phlogosis nocivum caperet alimentum. Exhibebam praeterea fructus horreos maturos pro lubitu, lac quoque et lacticinia, nihil vero commendavi diligentius, quam ut infantes aëri liberiori per diem exponerentur.

Caeterum nil aliud propinavi: experientia doctus, mercurialia, antimonialia, alia-

aliaque laudata antidota ante morbum ipsum corpori sano ingesta nil boni, mali multum producere. Venenum enim, in quod agant, cum non inveniant, corpus ipsum sanum aggrediuntur, et, quod sanius fieri nequit, morbosum reddunt.

Sufficit, corpus ita praeparatum esse, ut sanum sit, fluidis solidisque pro ratione aetatis sanis, natura vegeta, nulla ad phlogosin dispositione praesenti, cute denique, quae maximum morbi furorem experitur, emollita et ad suscipiendum et eliminandum venenum adaptata. Qui plura agere tentant, operam ludunt, et corpus reddendo cachecticum imminenti morbo blandiuntur potius, quam resistunt.

Morbus accedens aegrum consuetis aggrediebatur symptomatibus, horripilatione vaga, calore, dedolatione, capitis, nuchae, dorsique dolore, vomituritione, vomitu ciborum, glutinis, bilisque; nox insequens inquieta erat et anxia, facies florescebat, calebant miseri, sudabant, distorquebantur oculi, subsiliebant manus, non raro totum corpus convellebatur.

Ob-

Observator paulo attentior haec morbi variolosi prodroma facile cognoscebat: hinc omnia disponere poterat et plurimis occurrere malis, alio modo vix avertendis. Ast ubi res angusta domi, nec medicus fuerat vocatus auxilio, qui primos hosce morbi gressus dirigeret; nocte inter calores vehementes, deliria, et convulsivos insultus transacta, postridie modo pustulae apparebant in facie, collo, pectore, coloris dense rubicundi.

Quamprimum ex praedictis prodromis constabat, morbum variolosum adesse, variolarumque instare eruptiones: extemplo totus apparatus refrigerans ad febrim mitigandam adhibendus erat. In prima nimirum ineunte variolarum periodo, quam fermentationis periodum appellare mallem, in febris imminutione totum consistit variolas mitigandi artificium. Fomes enim veneni variolosi se tum immiscet humioribus, eosque in sui speciem commutat. Quo minor ergo motus, quo minori vehementia haec fermentatio peragitur, aut, quod idem est, quo minor haec febris est, eo mitius evadit, quod inde nascitur, novum fermentum.

Ge-

Genuinus quidem hujus febris character inflammatorius est; ast aliam saepe, diversamque faciem induit pro varia humorum crasi, pro varia constitutionis regnantis indole: Haec febris anomalia diverso variolas genio imbuat necesse est. Inde fors variolarum anomalia, inde diversus epidemiarum decursus repetendus erit.

Memor regnantis constitutionis, ad mitigandam hanc febrim eruptoriam triplicem formavi indicationem. 1. orgasmum mitigandi; 2. acrimonias primarum viarum diluendi et educendi; 3. humorum raptum a capite avocandi.

Non praeparatis praeter usum aëris aperti, et regimen frigidiusculum, ventrem exonerabam a colluvie biliosa et acri per lene emetico purgans: exhibebam solutionem mannatam, cui unum alterumve granum tartari emetici admiscueram, cochleatim et partitis vicibus, ad vomitum bis terve excitandum, et alvum aliquoties educendam.

Praeparatis autem enema solvens injici curabam, exhibita simul solutione mannata ad lubricandam alvum.

Dabam praeterea copiosum potum theatum cum lacte, vel et lene emulsum nitrosum: tepida adjungebam pediluvia, et calore nimio non remittente, applicabam plantis pedum synapismata.

Ubi rubedo major faciei, oculorum torvitas, pulsuum durities, carotidum vehementior pulsatio, somnolentia vel delirium, aliaque aderant indicia accumulationis, staseosque sanguinis in cerebro, sine mora sanguinem educi curabam, adulterioribus venaesectione, parvulis hirudinum pone aures applicatione. Sanguine educto videbam aegros ad se redire, refrigerari, febrisque vehementiam mitigari.

Quantum fieri poterat, aegrotos lecto prohibebam, sero etiam vesperi eundum erat cubitum. Somnus enim variolarum eruptionem, quam oportet imminuere, mirum quantum promovet, augetque.

Ipsa adhuc eadem die febris hac methodo non parum mitescebat, infantibus redibat alacritas, amorque ludendi.

Qui

Qui vero prae nimia lassitudine lectum deserere non poterant, iis non nisi pedes et abdomen tegebantur, reliquo corpore nudo. Sedendum vero in lecto, non jacendum fuit, ne horizontali situ raptus humorum ad caput facilitaretur, unde variolarum in facie augmentum, et confluxus, tumór capitis, et id genus funesta mala oriuntur. Verissime enim asserit Sydenham: indies observatur morbum hunc magnum aestimari non pro variolarum frequentia, quae reliquum corpus, sed pro earum numero tantum, quae faciem obsidere cernuntur.

Continuabatur solutio mannata nitrosa ad eruptionem usque. Tertia, raro quarta die, saepe et citius pustulae apparebant in facie, collo et pectore: Febris pro more jam parum mitescebat: Continuabam leniter eccoprotica et diluentia: aegri pedibus bene tectis aeri semper aperto manebant expositi, pediluvia calida renovabantur: adultis et semicupia tepida adhibebam: enemata solventia salina erant proficua.

Quarta post eruptionem die, febris suppuratoriae molimina ingruebant horripilatio-

ne et calore, ast multo minori solito: pustulae arenularum instar faciem praecipue, et corpus obsidentes non elevabantur.

Facies intumescere coepit, salivatio adultiores, dyarrhaea molestare infantes: Pustulae durae manebant sine ullo suppurationis signo. Aegri conquerebantur de horripilatione continua: saepe artus prae frigore tremebant.

Praedicta methodo hucusque tractati, pustulas magis disjunctas habebant, magisque regulares: variolae elevabantur colore rubro nitescentes, sed et his multo tardior erat suppuratio.

In hoc stadio medendi methodo refrigeranti hucusque saluberrimae renunciandum erat, et aditus aëri frigidiori praecludendus, ne, febri continuo invalescente, pustularum omnino retardaretur suppuratio, e cujus suppressione vidi mala oriri funestissima, pure in cerebrum, pulmones, aliaque viscera delato.

Hac de causa aegri aut lecto detineri, aut, id si nollent, bene vestiti esse debebant:

bant: aër vero frigidior quam maxime abarcendus erat. Sufficiebat nunc, alvum semel per diem esse reseratam, quod enemate praestabatur: purgantia salina et omnia refrigerantia nocebant. Exhibebam aegris saepius per diem infusum aliquod gratum tepidum cum lacte, et pediluvia continuabam calida. Hac methodo pustulae elevabantur, in suppurationem benignam brevi abeuntes.

Ubi vero post quintam, sextamve ab eruptione diem pustula nulla suppurando surgebat altius, nec apice albescenti distinguebatur, ubi tumida facies aspera griseaque cutis superficie inhorrescebat, pustula nulla emergente, frustra exspectasses spontaneam naturae languentis operationem. Camphora sola, remedium unum instar omnibus stimulantibus, suppurationem promoventibus semper et ubique palmam praeripuit. Dabam grana ejus duo ad quatuor per diem partitis vicibus: effectu postridie his non respondente dosin augebam. Quam primum vero vidi pustulas satis bene formatas, sed vacuas, externo fomento camphorato ex mucilagine gummi arabici et camphora parato partes has fomentabam,

et

et optato effectu aliquot horarum spatio, quae prius vacuae fuerant, pustulae nunc omnes pure desiderato turgescebant.

Integrum aegrotantis corpusculum quandoque linteis mucilagine hac camphorata imbutis involvi, nec unquam me de pustularum suppuratione solicitum haec eam excitandi promovendique methodus fefellit.

Gangraenosas pustulas hac epidemia regnante frequentissimas statim aperui et expressi guttulam sanguinis, quae eas replebat, deinde locum affectum linteo mucilagine camphorata madido contexi et postridie variola non sanguine sed pure manabat. Quae pus continebant pustulae iterum saepiusque aperiebantur; videbamus enim post aliquot denuo horas recenti easdem pure turgidas. Hac ratione metastases alias frequentissimae optime praecavebantur.

En totam adhibiti medicaminis summam! alvus durante suppuratione rara duriorque enemate indies injecto ducebatur, ultimis vero diebus adjuvabatur solutione mannata. Tempore exsiccationis purgationem alvi con-

continuabam electuario lenitivo, vel alio id genus leni purgante.

Per longum tempus continuari debebant lenia purgantia. Unica haec erant ad molestas depositiones impediendas, arcendasque remedia.

Crusta faciei e suppuratione orta duritie sua puris exitum saepe impediebat, inde partium subjacentium erosio, inde abscessuum cutaneorum formatio, et faciei de venustate periclitantis primordia. Necesse ergo erat, crustam hanc cataplasmatibus emollire et emollitam elevare saepius, ut puri daretur exitus. Crusta decidua cutis cataplasmatibus emollientibus supposita continuo adhuc fovenda venit. Haec deformitatis avertendae methodus mihi videtur probatissima.

Nascuntur enim hae deformitates ex eo, quod faciei partes aliae crusta hac exuuntur, aliae vero eadem adhuc teguntur. Cutis libera epidermidem reacquirit, et naturali rursus forma donatur; vicina vero, quae crusta tenacius adhaerente adhuc tecta est, a pure inferius incluso eroditur.

Ac-

Accedit, quod interrupta cutis continuitate, vasa cutis, quae crusta libera est, vicina illi, quae libera non est, in interstitiis formam faciant inaequalem, et cum hanc ob causam aequaliter se distendere non possint, trabes, scrobulos, striasque efficiant, defoedationis futurae rudimenta. His omnibus obstatur, dum cataplasmatibus calidis crusta faciei tota continuo fovetur, et emollitur, qua ratione brevi crusta decidit, et cutis renascitur aequalis nec crustae novae locus est. Sic plures servavi, quibus trabes et distorsiones naris et palpebrarum modo minabantur.

Suppurationem quandoque nimis diuturnam, ita ut phthisis metueretur sero lactis omnium optime inhibui, cortice postea simul exhibito.

Post superatum malum saepe oriuntur abscesus metastatici eo quidem copiosiores, quo densius fuerat variolarum agmen. Virus variolosum hoc non facit, sed praesens puris affluentia, quae humores omnes in sui naturam convertit. Diathesin hanc purulentam felicius amovi, dum sacchari lactis drachmas duas cum drachma pulveris

cor

corticis peruviani bis per diem, serumque lactis simul generose potandum exhiberem.

Numerus omnium hoc anno variolis mortuorum in civitate est 1569. Hoc numero si infantes 356. anno aetatis primo non superstites eximas, mortuorum in urbe numerus est 121 in suburbiis 1092.

Epidemia haec, quae sub finem prioris anni modo irruerat, et prioribus quatuor mensibus nec imminui nec serpere videbatur latius, mense Julio invaluit subito et mense Septembri omni, quo potuit, furore grassata est, Octobri sensim desinens. Non in peculari quadam vastissimae civitatis regione pedem fixit, nec locum sibi delegit, in quem saeviret atrocius, sed omnes simul civitatis, qua late patet, regiones suo exulceravit contagio.

Ista tamen suburbia, quae versus meridiem et occidentem sita sunt, plura planxerunt funera, respectu etiam ad populationem habito, quam ea, quae ad Septemtrionem et orientem jacent. Priora his altiora sunt: fors durante siccitate aër ibi siccior, et variolis fuit infestior.

Nu-

Numerus mortuorum quolibet menſe ſequens eſt.

Januario.	40
Ferbruario	37
Martio.	31
Aprili.	45
Majo.	58
Junio.	64
Julio.	119
Auguſto.	216
Septembri	246
Octobri.	190
Novembri	100
Decembri	67
	1213
Aditis parvulis infra annum.	356
Summa integra	1569

Morbillis per totum annum non niſi decem mortui ſunt.

Mortui hoc menſe in civitate 1327.

OC-

Dies.	Barom. alti.	med.	Therm. gradus medius	Venti. mane.	meridie.	vesperi.
1	28dig.	o lin.	+ o $9\frac{1}{2}$ gradus	o	o	o
2	27 —	$10\frac{2}{3}$ —	+ o $9\frac{2}{3}$ —	o	o	o
3	— —	$11\frac{1}{4}$ —	+ o $9\frac{1}{2}$ —	o	o	o
4	28 —	$0\frac{1}{3}$ —	+ o $9\frac{3}{4}$ —	o	o	o
5	— —	1 —	+ o 10 —	o	o	o
6	27 —	$11\frac{1}{2}$ —	+ o $10\frac{2}{3}$ —	o	S. p.	o
7	— —	10 —	+ o 11 —	O. p.	S. m.	o
8	— —	10 —	+ o $9\frac{2}{3}$ —	o	o	o
9	— —	$8\frac{1}{3}$ —	+ o $10\frac{1}{4}$ —	o	o	o
10	— —	$8\frac{1}{4}$ —	+ o $9\frac{3}{4}$ —	o	W. p.	W. p.
11	— —	$10\frac{1}{2}$ —	+ o 8 —	o	N. p.	N. p.
12	— —	11 —	+ o 7 —	o	o	o
13	— —	8 —	+ o $8\frac{1}{3}$ —	o	o	W. m.
14	— —	$10\frac{1}{2}$ —	+ o $8\frac{3}{4}$ —	W. m:	W. m.	o
15	— —	11 —	+ o $12\frac{2}{3}$ —	W. m.	W. m.	W. p.
16	28 —	$0\frac{1}{3}$ —	+ o $11\frac{3}{4}$ —	W. p.	W. m.	W. p.
17	— —	$2\frac{1}{2}$ —	+ o $7\frac{1}{4}$ —	W. m.	W. p.	o
18	27 —	$11\frac{1}{4}$ —	+ o $7\frac{2}{3}$ —	o	o	o
19	— —	$10\frac{1}{2}$ —	+ o $10\frac{1}{2}$ —	W. p.	o	N. p.
20	— —	$11\frac{1}{2}$ —	+ o $7\frac{1}{2}$ —	N. p.	N. p.	N. p.
21	28 —	$0\frac{1}{2}$ —	+ o $5\frac{1}{3}$ —	N. p.	N. p.	N. p.
22	27 —	$11\frac{3}{4}$ —	+ o $3\frac{3}{4}$ —	o	o	o
23	— —	11 —	+ o 4 —	o	o	o
24	— —	10 —	+ o $5\frac{1}{2}$ —	o	S. p.	S. p.
25	— —	$9\frac{3}{4}$ —	+ o 4 —	o	o	o
26	— —	9 —	+ o $7\frac{2}{3}$ —	o	o	o
27	— —	9 —	+ o 6 —	o	o	o
28	— —	8 —	+ o $4\frac{3}{4}$ —	N. p.	N. p.	N. p.
29	— —	$7\frac{3}{4}$ —	+ o 4 —	N. p.	o	o
30	— —	$7\frac{1}{2}$ —	+ o $3\frac{1}{4}$ —	N. p.	N. p.	N. p.
31	— —	8 —	+ o $3\frac{1}{2}$ —	o	o	N. p.

Die 8,12,15, altitudo max. = 28 dig. 2lin.
Die 20 altitudo minima = 27 dig. $6\frac{1}{3}$ lin.

Diffe. = 0 dig. $7\frac{1}{3}$ lin.

Die 4 calor maximus = o + 10 grad.
Die 18 frigus maximum = o + 2 grad.

Summa = o + 12 grad.

Ini-

Initium mensis serenum erat, frigidumque: excepit hanc tempestatem calidior aër serenitate permanente. Nebula post medium mensem omni mane coelum obfuscabat, sole tamen per diem serene splendente. Ultimis decem diebus indies pluvia cecidit sensim copiosior magisque nubila, humidum nunc aërem, frigidumque efficiens.

In nosocomium admissi sunt viri viginti duo et undecim foeminae; acutis viri sedecim, et sex foeminae decumbebant: mortuus ex his unus phthisicus; ergo omnium trigesimus tertius mortuus est.

Singulorum morbi sequentes erant: synocho simplici, rheumatica levi inflammatoria febri juncta, laborabant sex viri et una foemina, rheumate erysipelatoso viri tres, febre biliosa duo et una foemina: bilioso inflammatoria viri tres, et una foemina: peripneumonia duo viri: enteritide una foemina: haemorrhagia uteri duae: phthisi denique duo viri: tertiana intermittente unus, arthritide unus: tinea adolescentulus; gonorrhaea vir unus.

Reg-

Regnarunt hoc mense febres rheumaticae et inflammatoriae, variolis malignis furere non desinentibus. Rheumaticae febres adultos sine numero in lecto detinuerunt vel purae vel bili acri, vel nervorum affectionibus junctae.

In rheumate simplici frigus breve per unam alteramve horam durans excepit statim calor humidus cum capitis gravitate, et dolore per artus, per latera pectoris, vel scapulas lancinante. Rheumaticae s mplices.

Lingua his fuit initio pura, postridie albo muco obducta, cum oris pastaceo gustu; in quibusdam borborigmi oribantur et tormina ventris eadem die, cum alvo dyarrhaeica tertia die. Febris deinde mitigabatur, et si ars vel levissima ad alvum solicitandam concurrisset, integra solvebatur.

In quibusdam pressorius dolor occupabat pectus: in aliis caput praeprimis affectum erat, omnibus pulsus fuit mollis, undulans et celer cum diutius durante diastole. Potus tepidus theatus ex infuso florum sambuci, aliusve herbae resolventis, vel

emol-

emollientis, cum cremore tartari affatim haustus, alvum laxam servabat, educebat pituitam, sudorem, in quem inclinabat jam ipse morbi genius, adjuvabat, sanitate brevi subsequente.

Morbus hic plerumque valde cito et facile finiebatur, ut potius ad ephemeras et catarrhales benignas referri mereretur. Seniculi et debiles, vel qui jam diu ad rheumatismos proclives erant, paulo diutius et vehementius hac febre laborabant. Interim et hi diligenti potuum tepidorum et leniter purgantium usu facile morbum superabant.

Febres rheumatico inflammatoriae.

Saepe vero rheumati se adjungebat inflammatoria diathesis, parte quadam pro corporum conditione, et materiae morbificae acrimonia vehementius affecta. Cephalalgiae, anginae, peripneumoniae, et enteritides hoc mense non infrequentes fuerunt.

Venaesectio hic praeprimis indicabatur, eaque repetita, ad febris vehementiam sedandam: interim judicio erat opus, ne arte ad evacuandam nimis propera necessariae naturae vires adimerentur, nec acri rheuma-

ma-

matico intimius in viscera nobiliora penetrandi potestas daretur. Sic viro rheumate inflammatorio simul et cephalalgicis doloribus vehementissimis affecto vena eadem die ter secta unciae quadraginta sanguinis eductae sunt cum crusta larga rheumatica. Dolor post quamlibet venaesectionem momento mitigatus incitaverat medicum, ut quartam venaesectionem eodem adhuc vesperi instituendam consuleret. Delirium instabat, subsiliebant tendines, pulsus erat huic rheumati proprius, undulans mollis celler cum cunctante diastole. Differebam ulteriorem venaesectionem in crastinum, suadebam quietem, lenem calorem, potumque copiosum tepidum, et applicabam nuchae vesicans. Eadem nocte sudor copiosus erupit, quem somnus placidus subsecutus est: altero mane aeger nec dolorem sentiebat nec febrim, ulteriori, uti praesentiebam, venaesectione supervacanea.

Febres rheumatico nervosae.

Nervosae affectiones se quoque immiscebant rheumati. Partes doloribus rheumaticis affectae convellebantur, subsiliebant, et contractae manebant. Sic varios faciei, varios colli, brachiorum et

et aliarum corporis partium musculos spasmodica hac affectione distortos observavi.

Dolebant aegri his ex partibus intolerabiliter, subdola vagaque horripilatione per diem detenti, calebant noctu, sudabantque: postridie partes dolore affectae contractae erant. Sic faciem spasmodica istiusmodi musculorum contractione foede distortam in binis aegris miratus sum.

His iisdem aegris pustulae rubrae prurientes in tota corporis superficie, facie, collo, pectore, abdomine et artubus nascebantur. Aegris in lecto sudantibus minuebantur hae pustulae, imo abibant, eodem quo aëri se exponebant momento redeuntes.

Chronicum hoc malum erat, pluribus mensibus permanens; et dictae musculorum contracturae augebantur indies, nisi aegri debitae se curae subjicerent.

Calida herbarum resolventium infusa cum cremore tartari usitata in rheumate, minus efficacia erant hujus mali remedia, saltem minus cito ferebant opem.

Se-

Sequens methodus omnium praecellentior malum eradicavit: Aegro quotidie in balneum tepidum per sesqui horam immisso dabam, praemissa alvi purgatione, quater per diem moschi grana quatuor cum infuso radicis valerianae silvestris, uncia nimirum dimidia hujus radicis in libra aquae fervidae per $\frac{1}{4}$ horae infusa.

Quorum ventriculo vel intestinis vel pulmonum bronchiis pituita adhaerebat pertinacior, iis kermetis granum dimidium dosi cuilibet moschi additum propinabam.

Primis modo diebus utilitatem hujus methodi perspiciebam, nec diu integra molesti hujus morbi sanatio desiderabatur: sudor enim copiosior et diuturnus inde oriebatur, quem ob infestissimum pruritum siccis calidisque linteis diligenter abstergi curabam.

Febres rheumatico biliosae.

Circa medium mensem vidimus plures febres rheumaticas biliosis cruditatibus junctas: dolor vehemens aut caput aut pectus occupabat: in multis simul aderant lancinantes artuum dolores, et facies insuper flava, oculi flavicantes, lingua flavo mu-

P co

co sordida, et abdomen intumescens: quidam et vomituriebant.

His aut emetica, aut emetico cathartica quantocius exhibui ex salinis remediis, quae et primas vias purgarent a colluvie biliosa, et sanguinis diathesin phlogisticam resolverent, sudorem simul proficuum elicientia. Vidi hujusmodi febrim ventre non expurgato in inflammatoriam abire chronicam, phthisi funesta terminatam.

Erysipelata.

His adjungere possem erysipelata praecipue faciei, hoc mense frequentia. Acre rheumaticum et biliosum in hoc morbo sibi videntur divisisse dominium: utriusque videlicet symptomata simul aderant. In alterutro verum pemphygum observavi cum bullis in facie et brachiis, juglande non minoribus.

Salinis remediis continuo purgavi ventriculum et intestina, tepidum exhibui potum, retinui aegros in lecto, et sic septima die resolutio secuta est, licet unus omnium prima et secunda die vehementissime febricitaret cum delirio. Vesiculas aperui, et cute desquamata, ut et durante morbo, aeg-

aegros ab aëre frigidiori prohibui, cute erysipelatosa linteo sicco calidoque tecta.

Ex inflammationibus peripneumoniae cum lateris dolore frequentiores fuerunt, dein et phrenitides et enteritides, et aliorum abdominis viscerum inflammationes.

Venaesectiones repetitae, fomentationes calidae emollientes, et totus apparatus antiphlogisticus in his morbis indicabantur, et brevi sanitatem restituebant. Decocta tamarindinata, serum lactis cremoraceum, et similia, quae simul alvum purgabant, praestantiora erant, quum illorum ope alvo aperta sordes morbificae citius expellerentur.

Unica haec et sola methodus vehementissima in phrenitide mihi fecit satis, nec opus habui ad vesicantia, stimulantia, nervinaque confugere, quae tumultuario stimulo turbassent naturae operam, et mortem eo certius accersissent.

Sic phreniticus quidam solis venaesectionibus et decocto hordei tamarindinato optime convaluit, Medias inter convulsiones, mediaque inter deliria pulsu tremulo

et ad debilitatem contracto, facie pallescente, urina pallida, animo volvens ac revolvens corporis juvenile robur morbique brevitatem, et profundum oculorum ruborem tandem ausus sum sanguinem detrahere quinquies semper crustaceum, dato non nisi potu diluenti, et eccoprotico continuo. Octava die en sudor copiosus, alvus cocta pultacea, caput liberius. Nona die nulla febris amplius. Optime convaluit. Remanens in reconvalescente aurium susurrus venaesectione sexta, quae sanguinem dedit leviori adhuc crusta tectum, omnino sedatus est.

Febris inflammatorio biliosa.

Omnes hae febres inflammatoriae simul aliquid ex biliosis primarum viarum sordibus admixtum habebant. Furente licet unica phlogistica diathesi, aderat tamen flavedo in oculorum albuginea, et circa labia; et sordes albo-griseae vel flavae linguam coinquinabant.

Hinc solo emollientium usu protractus morbi terminus cito et feliciter attingebatur, dum lenia eccoprotica diluentibus fuerant adjuncta.

In

In quibusdam vero manifestior erat biliosae colluviei praesentia, ut respectus major ad hanc, quam ad phlogosin habendus esset. Imo saepe ne minimum deprehendisses phlogisticae diathesios vestigium, quae superata febri biliosa, post plurium dierum inediam, et salinorum, diluentiumque usum nunc in scenam redibat liberior, tametsi antea ne per somnium in mentem tibi venisset.

Vir robustus decima quarta octobris aegrotare coeperat, horripilatione quatuor horas durante, calebat noctu, e capite vehementer dolens.

15. Octob. 2 morbi die cephalalgia eadem: aderat nausea continua vomitus spontaneus magna virium debilitatio, facies, totumque corpus flavicans, pulsus celer durus. Admissus in nosocomium sumebat solvens, dein emeticum cum multo potu diluente. Vomuit quinquies aeruginosa, purgavit decies.

16 — 3. Tussis oppressio pectoris: dolor lateris dextri, vomituritio minus incommoda, sed os amarum adhuc, lingua flavo

mu-

muco obducta, urina intense rubra. Exhibetur decoctum hordei cum oxymelle: circa meridiem urgente tussi fit venaesectio; sanguis eductus rubellus est, et dissolutioni proximus: venaesectio aliquantum affert levaminis.

17 — 4. Flavedo oculorum magna, tussis, stertor, delirium, alvus bis, pulsus celer, mollis. Sumit decoctum hordei cum sale ammoniaco et oxymelle.

18 — 5. Eadem: stertor gravior, tussis magna: sputum biliosum ac tenax: noctu delirium: Continuat eadem medicamenta.

19 — 6. Stertor continuus: respiratio valde difficilis: pulsus mollis, celer, quandoque magnus, lingua sicca, fissa, os aphtis horridum, alvus bis, sputorum eadem conditio: continuat medicamenta.

20 — 7. Sputum copiosum flavum sanguinolentum, dentes sordidi.

22. — 9 Noctu sudor maximus; sputum flavum, compactum, tenax. Sumit prae-

praeter decoctum hordei quater per diem kermetis mineralis granum unum.

23 — 10 Sputum copiosum, alvus ter cocta, sudor continuat.

24 — 11 Lingua purior, respiratio liberior, sputum copiosum flavum, flavedo minor, pulsus elatior, minus celer.

25 — 12 Stertor adhuc, sputum minus copiosum, plus virium, pulsus tardior et elatior.

26 — 13 Flavedo corporis nulla amplius, oculis adhuc parum flavis: lingua purior humida; tussis pauca, respiratio facilis, quandoque stertorosa: sputum facile; pulsus tardus, mollis, alvus bis cocta pultacea, urina hucusque intense rubra nunc naturalis.

27 — 14 Vesperi absque causa visibili subito tussitat, opprimitur pectus, caputque gravatur, nox insomnis cum tussi sicca: postridie eadem perdurant, rubet facies; pulsus celer, elatus est. Datur ipsi infusum mannatum laxans: alvus inde sexies abs-

que

quelevamine: nox altera inquieta cum tussi, respiratione difficillima, et cephalalgia.

29. — 16. Pulsus celer, elatus, durus, cum symptomatibus orgasmi perdurantibus. Sanguis e vena extrahitur ad uncias decem: brevi levamen oritur, crusta tenax sanguinem tegit: Sudor noctu subsequitur copiosus, omnia levans.

30. — 17. Febris aegrum deseruit, subitoque successit reconvalescentia firma et constans. Quatuordecim diebus post sanus nosocomio valedixit.

Alius quidam decima octava octobris inceperat aegrotare: vigesima prima in nosocomium ducitur cum tussi, oppressione, dolore lateris, pulsu celeri, contracto, ore pastaceo, lingua alba.

22 Oct. quinta a prima morbi ingruentis die. Perdurante hoc morbi statu, venaesectionem administro, et do purgans salinum. Sanguis eductus rubellus est, laxae consistentiae: oppressio eadem, lateris dolor idem: alvus per diem quater.

23.—6. Calor continuus, siccus, cephalalgia, pectoris oppressio maxima, tussis continua dolens, sputa pauca glutinosa: pulsus celer, parum compressus, lingua et os eadem: alvus bis. Do ipsi decoctum hordei cum oxymelle: pectori applico cataplásma emolliens.

24.—7. Tussis vehemens cum sputis paucis valde glutinosis: pulsus celer mollis: alvus bis: lingua minus alba, os minus pastaceum. Continuat medicamentum hesternum.

25.—8. Nocte praeterita delirium: tussis, et oppressio eadem, pulsus celerrimus, parum constrictus: alvus ter cocta. Venaesectionem instituo. En! crusta nunc, et sanguis compactior atque imminutio oppressionis, et tussis. Noctu sudor levis et somnus pacatus: Dolor lateris fere nullus amplius.

26.—9. Omnia meliorata: sputa cocta, glutine mixta facili excernuntur tussi, respiratio libera est, pulsus mollis, fere naturalis, alvus ter noctu, et bis per diem cocta.

27.—10. Aeger est absque febri, et appetit, sumitque decoctum hordei cum oxymelle per aliquot adhuc dies.

Prima novembris sanus e nosocomio dimissus est. Urina per totum morbi decursum clara mansit.

Variolae malignae grassari non desinunt. Petechiae earum pustulis non raro intersperguntur. Eadem, quam supra descripsi, methodus primas sibi vindicat. Regimen nimirum frigidius ante eruptionem et quam diu durat, suppuratione post incipiente, simul et perdurante ad finem usque regimen calidius, adjutis naturae viribus, et abacta in - et externo camphorae adminiculo gangraenosa humorum dissolutione.

Mortui hoc mense in civitate 1277.

NO-

Barom.					Therm.				Venti.		
Dies.	alti.	med.			gradus medius.				mane.	meridie.	vesperi.
1	27	dig.	10½	lin.	+	o	3¾	gradus	N.p.	o	N.p.
2	—	—	9¾	—	+	o	4⅖	—	o	S. p.	o
3	—	—	9½	—	+	o	6⅕	—	o	W. p.	o
4	—	—	8⅖	—	+	o	8	—	o	S. p.	S. p.
5	—	—	8¼	—	+	o	7½	—	o	o	o
6	—	—	10	—	+	o	5¼	—	W. p.	W. p.	W. p.
7	—	—	11½	—	+	o	4	—	o	N. p.	N. p.
8	28	—	1¼	—	+	o	2⅖	—	o	O. p.	O. p.
9	—	—	1⅕	—	+	o	5¼	—	S. p.	S. m.	S. p.
10	—	—	1½	—	+	o	5¼	—	o	o	o
11	—	—	1½	—	+	o	5½	—	o	o	o
12	—	—	2	—	+	o	3½	—	o	o	o
13	—	—	1½	—	+	o	2¼	—	o	N. p.	o
14	27	—	11¼	—	+	o	1⅓	—	o	o	W. p.
15	28	—	1½	—	+	o	1½	—	o	o	o
16	—	—	0⅖	—	+	o	0⅕	—	o	o	S. p.
17	27	—	11¼	—	+	o	0⅕	—	o	S. p.	o
18	—	—	10½	—	+	o	1¼	—	o	o	o
19	—	—	9	—	+	o	0	—	o	o	o
20	—	—	7	—	+	o	2	—	o	o	o
21	—	—	7¾	—	+	o	1¾	—	o	S. p.	S. p.
22	—	—	8	—	+	o	3	—	o	o	o
23	—	—	8⅖	—	+	o	3⅖	—	o	o	o
24	—	—	9½	—	+	o	4	—	o	o	o
25	—	—	10⅕	—	+	o	5½	—	o	o	o
26	—	—	8¼	—	+	o	4⅖	—	o	o	o
27	—	—	8¾	—	+	o	4½	—	W. p.	W. m.	W. m.
28	—	—	11½	—	+	o	2	—	N. p.	N. p.	N. p.
29	—	—	10⅕	—	+	o	1	—	N. p.	o	o
30	—	—	9	—	+	o	0½	—	o	o	o

Die 29 altitudo max. = 28 dig. 2⅕ lin.
Die 18 altitudo minima = 27 dig. 2⅕ lin.
Differ. = 1 dig. 0¼ lin.

Die 17 calor max. = + o 9 grad.
Die 30 frigus maximum = — o 2 grad.
Summa. = + o 11 grad.

Coelum initio Mensis frigidum nubilumque fuit: frigore dein mitigato nebulosum mansit. Sol raro et non nisi binis vel tribus diebus emicuit; pluvia quinta et sexta, nix vero vigesima octava et nona ceciderunt.

In

In nosocomium admittebantur hoc menſe quadraginta quatuor aegri, viri nimirum viginti et unus, foeminae viginti tres. Ex his marasmus duos sustulit, febris nervosa et phthisis pulmonalis totidem foeminas. Hinc mortuus undecimus quisque. Reliqui sani exiverunt.

Ex his laborarunt febre rheumatica et arthritica viri duo et una foemina; pleuritide duo viri, foemina una; peripneumonia duo viri, et tres foeminae; febre nervosa duo viri, foeminae tres: haemopthysi vir unus, erysipelate duo, et tres foeminae; angina foemina; febri quartana viri duo; phthisi duo viri, foemina una; hydrope duo viri, foemina una; scorbuto vi unus, foeminae duae; scabie vir unus, foeminae quatuor; scrophulis duo viri, totidemque foeminae gravidae quae felicem partum ediderunt.

Morbi inflammatorii et rheumatici hoc mense fuerunt frequentissimi: quosdam etiam febris lenta nervosa corripuit. Hydropici et phthisici vitam languidam tandem morte terminabant. Variolae quidem adhuc sed mitigato furore per urbem dominabantur,

tur, comitesque habebant morbillos infantibus insidiantes: facile enim per refrigerium retrogresae, praesentissimo tenellos exponebant periculo.

E morbis inflammatoriis peripneumoniae, quibuscum lateris dolores saepe conjuncti erant, omnium fuerunt frequentissimae, nec caruere periculo. Peripneumonia.

Initium hujus morbi mite erat, sentiebant aegri leves horripilationes, et calorem fugacem cum tussi catarrhali, noctu sat tranquille dormientes; altera die lassi continuo adhuc horripilabant, aer quidam leviter frigidus pervadebat membra; incalescebat caput, genae magis solito rubebant. Conquerabantur de gravedine, et anxia respiratione, tussitantes absque dolore. Hinc morbum febrim catarrhalem judicantes vix medicum accersebant, sumpto infuso quodam tepido ad transpirationem promovendam. Interim post noctem inquietam tertia die pejus se habebant; tussis erat molestior, tussiendoque dolebant e pectore, respiratio erat cita, anhelosa, plerumque cum punctorio lateris dextri dolore. Prae debilitate lectum deserere non poterant. Pulsus erat celer, durus, compressus, lingua hu-

mida, levi muco griseo tecta, os leviter pastaceum, genae rubentes, splendentes oculi, mens presens, imo saepe alacrior solito.

Tertia, quartaque die incipiebant excreare sputa tenacia, glutinosa, sanguine striatim intermixto, indiesque magis fusca, atque, rebus agri prospere succedentibus, copiosiora et magis cocta.

Aegri quidem ad sudandum proclives, sed ante septimam diem nullatenus inde levabantur, imo quo magis initio sudabant, eo pejus et diutius decumbebant.

Urinae erant fuscae in quibusdam crudae, flavo-limpidae, nec ante septimam diem mutabantur. Nubecula die septima vel octava fundum petens fausti erat ominis, scilicet: aliquot post diebus sequebatur resolutio.

Decima vel duodecima die febrilis aestus coepit imminui cum sputis copiosis coctis et pulsu, hucusque celeri, et compresso, nunc elevato, majori. Sudor jam universaliter et copiose prorumpens, cum uri-

urina sedimentum furfuraceo-lateritium faciente, et alvo pultacea crisin indicabat. Aegri non raro postridie morbo erant omnino defuncti, quasi nulla unquam fuisset in pulmonibus labes.

Alii vero serius eripiebantur: aestus quidem sensim remittebat, sed tussis et respirationis difficultas, et expuitio materiae albo flavae, glutinosae, tenacis cum vespertino accessu, pulsuque celeri, ac compresso permanebant. Hi e morbo acuto et gravi quidem elapsi periculum tamen non effugerant; incidebant enim in malum chronicum; et phthisis pulmonalis jam jam foras pulsabat, nisi accuratissimo regimine et assiduo remediorum usu remanens pulmonum morbosa diathesis corrigeretur.

Ast quidam illorum ne minimum dabant felicis resolutionis signum. Continuus manebat febris aestus, malum velut cuneus pulmoni infixum haerebat, et quae ejiciebantur sputa gangraenosam illorum conditionem prodebant; foetida enim erant, fuscolivida, vel sanguinolenta, et carnis putridae frustulis non dissimilia.

Ex-

Extinguebantur decima septima vel vigesima die, mentis ad ultimum vitae halitum perfecte compotes.

In cadaveribus occurrebant pulmones in lympha coagulabili natitantes, qua et cavum pectoris redundabat: pulmones ipsi erant flaccidi, nigri, bronhiorum ramis spumam sanguinolentam, fuscam, foetidissimam continentibus; reliqua viscera erant sana.

Qui statim ab initio debitae se curae commiserant, brevi plerumque et levi negotio sanabantur. Pulsus primis diebus durus et compressus, atque respirationis celeritas phlogisticam pulmonum diathesin demonstrabant.

Quare sine mora sanguinem opportebat educere, crusta tenaci semper obductum. Venaesectio statim adferebat levamen. Deinde conducebat decoctum quoddam tepidum antiphlogisticum ex radicibus Altheae Salep, floribus Verbasci, vel herba ejusmodi emolliente paratum cum acido vegetabili, atque nitro.

Do-

Dolor et oppressio ut plurimum post aliquot horas redibant, febri perdurante: hinc sanguis iterato educendus erat pro ratione doloris et respirationis impeditae, neque hic conveniebat vires aegri, sed potius morbi vehementiam pro norma repetendae venaesectionis adsumere, multo minus respicere ad diem morbi. Juvenculis aeque ac seniculis de vita periclitantibus octies saepe imo decies venam secare coactus sum, sex, septem, et pluribus libris sanguinis spatio decem vel duodecim dierum eductis. Decoctum tepidum antiphlogisticum omni hora vasculatim sumendum dedî cum nitri drachma una et aceti unciis tribus per diem. Cataplasmata tepida pectori applicata multum dabant levaminis. Cataplasmata vero ex herbis sic dictis emollientibus parata, odorem spirabant aegris molestum: hinc non alia, quam quae ex mica panis vel farina erant, usu veniebant.

Purgantia vero eccoprotica remedia, prioribus mensibus adeo necessaria, jam statim ab initio exhibita nocebant, nisi biliosae et gastricae sordes manifestis se ostenderent indiciis: imo et tunc solis tamarin-

dinatis vel mannatis acquiescendum erat, et reliqua tempori et coctioni committenda.

Salina majori et continuata dosi exhibita irritando phlogosin plurimum augebant. Vapor tepidus aceti aqua multa diluti halitu per os attractus hic saluberrimus fuit, neque novi aliud remedium, quo pulmonum phlogosis resolvatur efficacius praeter venaesectionem. Hic autem vapor non est continuo inhalandus, interumperetur enim praestantissimi vitae pabuli aeris vitalis assumptio: sufficit omni hora decem circiter haustibus vaporem hunc acetosum in pulmones derivari. Respiratio redditur inde liberior, sputa copiosiora et leviori copia excreantur, crispantur pulmonum vasa, lymphae impeditur exsudatio, et resolutio benigna phlogoseos adjuvatur.

Sanguine sputis striatim intermixto, praeter venaesectiones usum emollientium continuavi. Serum lactis cum succo citri vel aceto praeparatum et clarificatum non ingratum dabat potum, aegris strenue bibendum.

Morbo ingravescente, sputo tenaciori prodeunte, kermes mineralis ad sputa eji-

cienda multum juvabat. Cautus tamen ejus usus foret oportebat, ne nimia dosi ventriculus afficeretur, et tormina ventris, vel diarrhaea excitarentur cum majori pulmonum phlogosi et plenaria sputorum cohibitione. Hinc granum sufficiebat cum lapidibus cancrorum exhibitum omni bihorio, vel serius.

Sudores ab initio copiosi absque levamine aegri si per plures dies durabant, perniciosi erant, indicabant enim, quod pori exhalantes pulmonum non aliter ac pori cutanei jam nimis essent aperti, et lympham hanc coagulabilem nullo fors pacto resolubilem exsudarent.

Regimen jam paulo esset moderatius, potusque minus tepidi exhiberentur, necesse fuit. Emulsa ex seminibus papaveris, cucumeris, amygdalarum optime hic conducebant, nitro iis addito.

Urina illorum qui multa sudabant plerumque erat intense rubra; contra, qui minus sudabant, urinam in hoc morbo ad septimam, decimamque diem flavo limpidam excreabant.

His ultimis urgente nimia et inani tuſsi paregoricum vesperi datum noctem indulgebat tranquillam et sputa promovebat.

Febris si mitigabatur absque magna respirationis et tussis moderatione, signum erat, orgasmum quidem, impetumque humorum ad pulmones esse imminutos, obstaculum tamen ibidem adhuc, et inflammationem vel solam vel cum exulceratione localem remansisse. Manebat tunc eadem, quae supra, indicatio: serum lactis copiose potatum, et continuatum, et usus emollientium diligentissimus unicae erant mortis phthisicorum effugiendae remedia.

Febre inducias concedente, vasculum unum alterumve decocti corticis peruviani apyrexiae tempore sumptum naturae vires adjuvabat.

Quam primum vero sputorum immunitio cum febri vel anxietate aucta percipiebatur, illico abstinendum erat ab ulteriori corticis usu, solo sero lactis continuato.

Morbo ad decimam quartam diem absque ulla febris defervescentia protracto, de-

deponenda erant arma ad phlogosin compescendam hucusque adhibita. Viribus enim jam prospiciendum erat, et lenta febris phthisica gangraenae, exhaustos et cito et certo rapturae, praeferenda. Perfectam enim citamque resolutionem jam frustra expectares, dum pulmonum crasis tam diuturna inflammatione varie labefacta sit, dum bronchia et cavum pectoris lympha coagulabili scateant, exulcerationibus hinc inde modo subortis. Hic qui febrilem furorem domare tentat, oleum perdit, et operam, eoque citius accersit mortem, quae pacatiori nunc et lenta naturae opera, si non depellitur penitus, saltem retardatur, modo nutrientibus, demulcentibus, leniterque excitantibus remediis vires naturae sanatrices conserventur, et erigantur.

Decoctum radicis polygalae amarae vel corticis peruviani initio suspensa manu exhibitum, et sensim, quando febrilis ardor magis deferbuit, majori copia cum lacte sumptum et vires sensim erigebat, et solida roborabat, fluidorumque morbosam diathesin corrigebat.

Pu-

Puella viginti quatuor annorum alias semper sana, decima Novembris coepit vehementissima corripi pleuritide, quarta die in peripneumoniam abeunte.

Octo venaesectionibus succesivis, sanguis emittebatur valde spissus cum crusta tenaci fimbriata. Decocta emollientissima ex radice salep et althea exhibentur continuo, cataplasmata pectori applicantur: nullum anxietatis, nullum tussis, nec febris levamen sequitur.

22. Novembris. Anxietas, viriumque debilitas summa adest, sputa glutinosa fusca os replent, quae ob tenacitatem excreari non possunt: genae circumscripto rubore splendent, reliqua facie pallida: pulsus celer, subsiliens, micans, et inaequalis est; omnia gangraenam praesentem denuntiant.

Quas componere non valeo funestas pulmonum turbas, novis nolo augere malis. Gratum aegrotae do potum ex sero lactis acetato, et auram exhibeo camphorae, granum nimirum quater per diem.

23.

23. Nulla mutatio.

24. Excreatio multo facilior.

26. Sputa copiosa glutinis foetidissimi, aestus aliquanto remissior.

28. Pulsus elevatur, aequalior est, sputa continuant.

1. Decembris. Dolens e femore tumor surgit phlegmonodes, respiratio facilior est, sputa copiosa continuant, spes est in sero lactis, et camphora.

3. D. Furunculus elevatur in femore phlegmonodes: nunc et brachio idem minatur tumor: febris mane remittit, respiratio liberior est, sputa continuant.

6. Quatuor nunc furunculi prodeunt, prior, qui suppurat, heri apertus pus copiosum dedit. Aegra maxime quidem macilenta est, et tussi vehementi vexatur, ast respiratio libera est, sputa sunt copiosa, et appetit. Sumit lacticinia et decoctum malti cum camphora.

16. Furunculi 20 et ultra corpori insident, pus copiosum pro parte saniosum fundentes. Aestus febrilis vesperi adhuc redit, appetitus est vehementior, respiratio libera, in utrumque latus commode aegra decumbit, quod prius non poterat; sputa minuuntur, et bene cocta sunt. Continuat priora medicamenta cum lacticiniis.

1ma Januari 1791. Major pars ulcerum cicatrisata est, reliqua adhuc aperta pus copiosum fundunt bonae consistentiae.

10. Torositas redit: ulcera fere omnia cicatrisata sunt, nulla tussis amplius.

Ultima Januarii. Optime valens, et torosa, lateque colorata. Sanitate constanti perfruitur aegra, ne vestigio prioris morbi remanente.

Certum est, adfuisse modo hac in aegra gangraenosum pulmonum statum, aut certo eum non longe abfuisse. Ulterior cura antiphlogistica evacuans hic aeque funesta fuisset, ac impetuosus antisepticorum et stimulantium remediorum usus: Vesicantia vellicassent naturam frustra, imo resorptio-

tione alcalini salis putredinem auxissent: cortex, aliaque antiseptica tumultuario stimulo gangraenosam inflammationem promovissent, vitaeque flammulam alioquin laboriose micantem extinxissent penitus.

Quid enim vel quae methodus innotescit, quae subsecutam hanc purulentae materiae coctionem, ejusque per furunculos et ulcera prodigiosa evacuationem potuisset efficere? Nihil profecto est, quod hoc potuisset! Potuit autem natura nullatenus turbata, et non nisi lenibus pro aegrae debilissimae statu exhibitis nutrientibus refocillata tantum opus perficere.

Multi pariter hoc mense febri rheumatica et arthritica decubuere. Febris haec priori jam mense caput extulerat, hoc vero mense tanto acutiores erant dolores, quanto fixior erat illorum sedes; articulis namque inherescebant, cum priori mense vagi per musculos errassent, locum continuo mutantes. Febris arthritica.

Horripilationem sat gravem duarum triumve horarum excipiebat aestus, vagusque membrorum dolor, sed eadem ipsa die,

sae-

saepe eadem hora sedem figebat in articulis carpi, digitorum, genuum, tarsi, aliarumve partium. Pulsus erat celer, durus, elatus; urina intense rubra, sudore adveniente, lateritia.

Juniores, temperamenti sanguinei, et qui nunquam morbis arthriticis affecti fuerant, levi negotio in principio sanabantur, dummodo lecto detenti calide foverentur, potuque tepido ex infuso florum sambuci, vel alius herbae resolventis diligenter ac affatim sumpto, transpirationem ac sudorem promoverent.

Immediate cum sudore liberalius erumpente dolores minuebantur, et pulsus in molliorem mutabatur, et tardiorem. Dolorem celeriter levabat roob sambuci, et acetum potui tepido junctum, deinde frictiones siccae calidae. Mador cutis aegrorum hoc methodo tractatorum, tam cito sequebatur cum dolorum levamine, ut ulterior medela fere semper supervacanea foret. Post duos tresve dies aegri morbo liberati erant.

Adulterioribus vero, et qui fibrae strictioris erant, aut cacochymicis, debilioribus

bus, praecipue vero qui aliquoties modo morbos arthriticos perpessi erant, item quorum parentes hoc morbo saepius erant adflicti, qui in juventute rachitici fuerant, denique fœminis quinquagenariis, quae alias menstruis parcis, et partu vel nullo, vel raro gavisae fuerant, his omnibus primo statim insultu morbus erat gravior, dolores acutiores et fixiores, partes dolentes tumescebant, inflammabantur, et morbus diutissime miseros excruciabat.

Omnia saepe membra adeo tensa erant, ut aegri se ne movere quidem possent: Pulsus erat tensus, durus, et sine ulla remissione celerrimus, alvus constipata, noctu dolores intendebantur, facies in dolorum acerbitate rubebat, pallebat in remissione.

Duratio morbi varia, pro varia aegrotorum ad arthritidem conditione. Sudor quidem secunda vel tertia die accedens cum urina lateritia dolorum levamen adferebat, sed tumores articulorum remanebant inflammati, motu vel minimo atrociter dolentes: febris manebat, dolore sub vesperum recrudescente. Ante vigesimum diem raro febris haec deferbuit, optime licet tractata.

Debilibus et seniculis ipsa tormenta dolorum solatio erant, quidam enim doloribus articulorum subito liberabantur, sed horrendo omine: sequenti enim momento partes interiores et nobiliores iisdem cruciabantur.[1] Jam caphalaea, phrenitis, omniaque cerebri affecti mala, vel anxietates, tussis, orthopnaea, aut abdominalium viscerum affectorum dolentissima oriebantur symptomata, brevi funesta, ni lares consuetos resalutaret morbi furor. Nec enim locus est, quem non occupaverit, nec mala, quae non effecerit, retrogressa arthritica acrimonia.

Febre etiam remittente, tumores articulorum saepe adhuc remanserunt per longum tempus; dolor etiam saepe recruduit.

In quibusdam tumebant artus universaliter phlegmonotice, imo, debita cura neglecta, in suppurationem abibant.

Non paucis vero nullus oriebatur tumor, doloribus interiores et nervosas partes potius occupantibus. Sic coxendicum et lumborum dolores non raro hoc mense observavimus absque earum partium tumore.

Paer-

Praecipua hujus morbi sanatio in cura consistebat antiphlogistica. Remediis omnibus palmam praeripuere venaesectiones, queis sanguis crusta largissima, et flava semper tectus educebantur. Non erat haec crusta contracta fimbriata, et concava, ut in inflammationibus puris esse solet, sed plana, aequalis, flavescens, et digitum latum crassa. Qualibet venaesectio dolores leniebat, brevi recrudescentes cum pulsu duro, pleno, et celeri. Quapropter ad venaesectiones iterandas properandum erat, ratione tamen semper habita ad aegri constitutionem. In mittendo sanguine, si unquam alias, in hoc praecipue morbo prudentia opus est. Robustis, sanguine plenis iterata venaesectio erat necessaria, quo inflammatorii articulorum tumores citius resolverentur, nodis tophisque obstaretur chronicis, nimiusque febris orgasmus compesceretur; Contra debilioribus, senibus, cachecticis vel morbum jam saepius perpessis ob crustam, vel levamen momentaneum iterum iterumque sanguis sine funestissimo malorum comitatu vix unquam educebatur.

Ex neglecta debita sanguinis eductione et cura antiphlogistica adolescentis alias ro-

robustissimi brachium ultrumque horrendum in modum intumescere vidi, et in suppurationem abire, tunica cellulosa tota in pus conversa, et musculis omnibus gangraenosis. Post multas aerumnas miser mortuus est.

Alius contra seniculus, exsiccatus, arthritide universali laborans ad quamlibet venaesectionem lenimen dolorum sentiebat, recrudescentium denuo post aliquot horas. Post septimam venaesectionem, quinta morbi die peractam, se omni dolore ait esse liberum: tribus post horis convellitur per momentum, et subito moritur, depositione materiae arthriticae ad cerebrum facta, cui vires vitae inpares erant extrudendae.

Venaesectione ea, quae fit in ipsa parte affecta, nihil praestantius inveni, praecipue si apertura venae infra partem ipsam fieri posset. Sic a brachio superiori humeroque dolentibus consuetas in cubito venas, brachio vero anteriori affecto, in carpo aperiendas curavi.

Tu-

Tumentibus et inflammatis articulis, velut topica venaesectione omnium utilissime subveniebant sanguisugae, quarum complures ad citam et expectatam inflammationis resolutionem applicare oportuit. Sic sex, octo, imo decem uni tumenti articulo admovi sanguisugas, et ultra sesqui libram sanguinis eduxi optimo et praestantissimo cum effectu. Accedit, quod aegri minus inde, ac a consueta sanguinis per vanaesectionem eductione, debilitarentur.

Praeter sanguinis emissiones antiphlogistica, purgantia, et decocta tepida diluentia, acescentia copiose exhibebantur. Manna, tumarindi, salesque medii purgantes in decoctis solventibus soluti huic scopo optime respondebant.

Primo morbi fervore parum pacato, infusum foliorum sennae, et radicis rhei cum salibus mediis, et multo roob sambuci potentius alvum purgabat, scibala copiosa, et materiem pultaceam, viridem, fermentantem, intestinum rectum acrimonia arrodentem educebat cum maximo aegrorum levamine. Purgantia vero primis statim diebus exhibita irritamento inani al-

alvum sollicitabant, et inflammationem ac dolores augebant.

Nec diu nimis oportebat purgantibus insistere, parte enim affecta inceptam resolutionem ostendente, primaria et naturalis materiei arthriticae eductio sudor erat, qui intemperantiori purgantium usu interrumpebatur.

Serum lactis cum cremore tartari paratum et floribus sambuci calidum superfusum scopo solventi ac diluenti optime conducebat: alvus inde et sudor magno cum levamine sollicitabantur, praecipue roob sambuci vel rubi idaei addito.

Terrae Antimoniales gravi mole stomacho erant molestae: potius tartarus emeticus ad granum unum libris duabus decocti solventis inditus alterante et diaphoretica virtute conducebat.

Inter externa remedia epispatica et vesicantia principem locum obtinuerunt; haec enim inclinante parum inflammationis fervore locis dolentibus adplicata, quam ci-

ti-

tissime dolores sopiebant, gelatinosam materiem vesiculas implentem simul elicientia.

Male vero applicabantur vesicantia partibus tumidis et exterius inflammatis: haec enim inde magis intumescebant, et majori afficiebantur inflammatione et dolore. Cum enim vesicantium utilitas in excitanda topica inflammatione, et seri eductione consistat, palam est, eadem in parte non inflammata applicanda esse, ut irritatione hac nova partis sanae et externae irritatio morbosa partium magis internarum vel nobiliorum avocetur.

Sic in capitis, pectoris, lumborum, aliarumque corporis partium dolore rheumatico parti vicinae non inflammatae vesicantia summo cum fructu fuerunt adplicata. Vesicantia, ut optime Cotunius observavit, statam saepe plagam dolore liberabant, dolore ad inferiores partes retrogresso: jam et huic loco novum erat applicandum vesicans; dolore jam iterum magis ad inferiora regresso, iterum vesicans imo quarta non raro vice profundiori semper parti applicandum erat, usque dum quasi per digitorum apices dolor evasisset.

In senibus, debilibus, et in iis, ubi erratici dolores arthritici sedem saepius mutabant, vel jam mutare videbantur, vesicantia et epispastica locis ipsis minus nobilibus applicata dolores his locis magis affigebant, et, quo minus ad interiores partes retrocederent, impediebant.

Quibus licebat balneis uti calidis, caeteris citius morbo liberabantur: sed erant tempore nunc hibernali balneis conjuncta ejusmodi incommoda, ut paucissimi his uti possent.

Depositiones materiei arthriticae optime avertebatur vesicantibus ad loca prius affecta, et sanguisugis ad loca, quibus morbi depositio impendebat, applicatis. Ulcera depositionum pus ichorosum dabant, et vix aut ne vix cicatrisabantur. Unguentum digestivum cum extracto cicutae omnium optime conducebat.

Febre et inflammatione sedatis dolores saepius diu adhuc permanserunt per mensem et ultra, in varias partes involantes, tumoribus etiam, nodis, tophisque subortis.

Hac

Hac occasione varia tentavi antarthritica: extractum aquosum gummi guajaci ad drachmam unam per diem exhibitum saepe praestans fuit hujus mali remedium. Solutio spirituosa calores fere semper excitavit, et febrem, uti ejus miscela cum gummi arabico et aqua hysopi mobiliores aegros calefecit, auxitque dolores.

Extractum aconiti ad grana quatuor, sex, et octo imo et majori dosi sensim aucta per diem exhibitum de multis bene et praeclare meruit. Sudore suaviter elicito, tumoribus residuis, simul et doloribus efficaciter obstabatur.

A calomele egregios quoque effectus expertus sum: lancinantium enim dolorum reliquias brevissimo tempore dissipat, et cacochymiam arthriticam penitus extinguit.

Vir erat viginti novem annorum arthriticis doloribus non raro affectus.

13. Novembris in febrim arthriticam incidit, cum inflammatis et tumentibus tarsi sinistri et carpi ejusdem lateris articulis.

Peracta venaesectione, sanguinem coriaceum emittente, post decocto purgante cum roob sambuci sumpto, potuque copioso calido sudavit, purgatus est cum sanatione carpi. Sed pes continuo tumebat et dolebat.

14. Venaesectionem in eodem pede affecto infra locum ipsum tumentem instituo. Inde dolor et tumor imminuuntur subito.

15. Pedem absque dolore leviter movere potest aeger: hinc febre adhuc fervente repetitur in eodem loco venaesectio, et continuatur decoctum sambucinum cum arcano duplicato et roob sambuci.

16. Detumuit pes, sed dolet adhuc; dolet quoque carpus sinister, febris minor est, sudor continuus.

18. Metatarsus adhuc tumet; dolor in exteriori poplitis parte fixum sibi locum elegit, descendens per suram retro malleolum externum ad digitum pedis quartum, quem et movere nequit aeger, motu reliquorum digitorum libero. Continuat medicamentum sambucinum cum sale.

20. Sudor continuus, et alvus ter quaterque per diem; febris minuta: sub poplite ad locum doloris vesicans applico.

22. Dolor a poplite recessit, in sura nunc furens pone malleolum externum. Vesicans et huic loco applicatur.

24. Dolor hinc effugit, in tarso nunc fixus; applicatur tarso vesicans.

26. Fugatus et inde dolor, irruit in digitos pedis tertium et quartum; applicatur et ad radicem horum digitorum dolentium vesicans.

28. Victo penitus fugatoque dolore, vesicantia priora sanantur: sed sinistra manus dolet, tumetque pes sinister, motu simul impedito. Sumit aeger continuo decoctum sambucinum cum roob sambuci, et arcano duplicato.

30. Pes aegri continuo sudantis detumuit: interim dolor quandoque saevus per pedem et brachium sinistrum vagatur.

2. Decembris. Febris nulla amplius, sed dolor lancinans noctu praecipue furit, per diem mitior: caelo quoque ventis agitato major est. Tarsus et carpus, quandoque et os ischium lateris sinistri dolore afficiuntur.

Sepositis hucusque usitatis remediis salinis et sambucinis, do grana duo calomelis cum conserva rosarum in pillulas formata secundum methodum Fothergilii omni vesperi sumenda.

9. Levamen a pillulis se sentire asserit aeger; dolores minores sunt.

His pillulis, spatio trium septimanarum continuatis, integre sanatus est aeger: tumor reliquus evanuit, et ne minima quidem remansit in partibus affectis debilitas. Vivit etiam hucusque sanus, nec, quibus hucusque valde fuerat obnoxius, a rheumaticis et arthriticis affectionibus ab hoc tempore incommodi quidquam passus est.

De febri nervosa maligna, hoc mense in scenam prodeunte, futuro dicam hoc libentius, quo frequentior ejus et lethalior observata fuit praesentia.

Mortui hoc mense in civitate 1154.

Dies.	Barom. alti.		med.		Therm. gradus medius.				Venti mane.	meridie.	vesperi.
1	27	dig.	$9\frac{2}{3}$	lin.	+	o	$2\frac{2}{3}$	gradus	S. p.	o	S. p.
2	—	—	$9\frac{1}{2}$	—	+	o	5	—	o	o	o
3	—	—	$11\frac{3}{4}$	—	+	o	$5\frac{2}{3}$	—	o	o	o
4	—	—	$7\frac{2}{3}$	—	+	o	6	—	o	W. p.	W. p.
5	—	—	$7\frac{1}{4}$	—	+	o	4	—	W. p.	W. p.	o
6	—	—	10	—	+	o	$1\frac{1}{2}$	—	o	N. p.	N. p.
7	28	—	$0\frac{2}{3}$	—	+	o	$0\frac{1}{4}$	—	N. p.	N. p.	N. p.
8	27	—	$9\frac{1}{3}$	—	+	o	$0\frac{1}{2}$	—	o	N. p.	N. m.
9	—	—	$9\frac{3}{4}$	—	+	o	$0\frac{1}{4}$	—	N. p.	N. p.	N. p.
10	—	—	$11\frac{2}{3}$	—	+	o	$0\frac{1}{2}$	—	N. p.	N. p.	N. p
11	—	—	$11\frac{1}{2}$	—	+	o	$3\frac{1}{3}$	—	W. p.	W. p.	W. p.
12	—	—	11	—	+	o	$4\frac{3}{4}$	—	W. p.	W. p.	W. p.
13	—	—	$11\frac{2}{3}$	—	+	o	$3\frac{2}{3}$	—	o	W. p.	o
14	—	—	8	—	+	o	$4\frac{1}{3}$	—	o	W. f.	o
15	—	—	$9\frac{1}{2}$	—	+	o	4	—	o	o	o
16	—	—	$8\frac{1}{2}$	—	+	o	$4\frac{1}{2}$	—	o	o	o
17	—	—	4	—	+	o	$4\frac{1}{4}$	—	o	o	o
18	—	—	$3\frac{1}{4}$	—	+	o	5	—	o	N. p.	N. p.
19	—	—	$6\frac{1}{4}$	—	+	o	$3\frac{1}{3}$	—	W. p.	W. p.	o
20	—	—	$8\frac{2}{3}$	—	+	o	$2\frac{1}{2}$	—	o	o	o
21	28	—	$1\frac{1}{3}$	—	+	o	1	—	o	o	o
22	—	—	$1\frac{1}{3}$	—	+	o	00	—	o	o	W. p.
23	—	—	$0\frac{1}{4}$	—	+	o	2	—	o	o	o
24	27	—	$11\frac{2}{3}$	—	+	o	$2\frac{1}{4}$	—	o	N. p.	N. p.
25	28	—	0	—	+	o	2	—	N. p.	o	o
26	27	—	$11\frac{1}{2}$	—	+	o	$1\frac{1}{4}$	—	o	N. p.	W. p.
27	—	—	$10\frac{1}{2}$	—	+	o	$1\frac{1}{3}$	—	o	o	o
28	—	—	$10\frac{1}{3}$	—	+	o	$0\frac{1}{2}$	—	o	o	o
29	28	—	$1\frac{3}{4}$	—	+	o	$0\frac{1}{3}$	—	o	o	o
30	—	—	$1\frac{1}{2}$	—	+	o	$0\frac{1}{4}$	—	N. p.	o	N. p.
31	—	—	$1\frac{3}{4}$	—	+	o	$0\frac{3}{4}$	—	o	o	o

Die 29 altitudo maxima = 28 dig. $1\frac{1}{2}$ lin.
Die 8 altitudo minima = 27 dig. $2\frac{1}{3}$ lin.

Diffe. = 1 dig. $0\frac{1}{4}$ lin.

Die 17 calor maximus. = o + 9 grad.
Die 31 calor minimus = o — 2 grad.

Diffe. = o + 11 grad.

Men-

Mensis hic Caelo continuo fere sereno et insueto frigoris moderamine se distinxit.

Paucioribus quidem, ast gravibus et insolitis miseri mortales eo durante morbis conflictati sunt, febri nimirum lenta nervosa adulti, et febri exanthematica infantes; dein et haemorrhagiae varii generis, rheumatismi, atque variae affectiones catarrhales ad superiora mala accesserunt.

Febris lenta nervosa

Descriptionem febris lentae nervosae non aggredior plenariam, cum grafica ejus ab Huxhamo delineata descriptio cuique medico nota sit. Addam solummodo quaedam peculiaria, quae in hac potissimum febri observavi.

Initio haec febris typum quotitianae intermittentis servavit, vario tempore apud varios accedentis cum frigore, calore, sudore et urina lateritia tres, quatuor, etiam sex horas durantis. Aegri simul Apyrexiae tempore de dedolatione artuum, de ructibus, de ore amaricante conquerebantur. Praecipuum vero omnium symptomatum omnibus aegris commune fuit dolor occipitis pressorius, gravisque, os occipitis inte-

grum,

grum, saepe et partes ossium bregmatis posteriores occupans: Pulsus erat celerior naturali et strictus, fere durus, lingua in fundo leviter flava, et abdomen parum elatum.

Interim aegri exibant apyrexiae tempore, laboribus consuetis fungentes: tribus, quatuor, sexve diebus post symtomata indies ingravescebant, et febris in continuam continentem abibat, nullo amplius horrore, nullo sudore, imo ne ulla quidem remissione accedentibus. Quaedam puella per octo dies quotidiana hujusmodi intermittente febri affecta fuerat. Tale initium in omnibus, qui hac febre laborarunt, observavi, in iis etiam, quibus contagio fuerat infusa.

Aegri continuo de occipitis dolore pressorio conquerebantur, quidam etiam de dolore capitis tempora perterebrante: quidam de statu morbi peranxii, quidam contra incuriosi, omnes vero memoriae labilis erant, et stupidae mentis, amaricantem et nauseosum oris saporem accusantes et vomiturientes: Vomitorio sumpto non nisi mucum inanem, vel aquam evomebant.

Plu-

Pulsus erat continuo celer, strictus, post aliquot dies subsiliens, irregularis, celerrimus: in omnibus aegrotis 100, 120, et plures ictus faciebat quolibet minuto, nunquam neque diurno neque nocturno tempore celeritate remittens.

Inquietabant plerosque tremores artuum, subsultus musculorum, tendinumque, et somni vigiles: alii somno sopiti erant continuo, expergefacti vero oculos aperiebant, ad interrogata respondentes, sed momento post in pristinum relabebantur soporem. Initio continuus aurium tinnitus delirii venientis erat prodromus, nec longe aberat surditas perfecta: Alii anxii et oppressi, tussi omnino sicca molestabantur.

In omnibus vero aderat coryza levis, aegri emungebant parum sanguinis conpacti cum muco sanguinolento. Lingua erat griseo muco impura, urina sanorum erat, flava, clara; sitis nulla, appetitus nullus; ita ut interrogati, quid ipsis deesset, quidve cuperent, vix noverint respondere: Singulatim interrogati, an caput doleret? exploratione prius per elevationem et motum

ca-

capitis facta, dicebant, illud esse ponderosum, occiput, et tempora premi. Interim oculi sanguine suffusi, leviterque inflammati, lucem non ferebant.

Post decimam sextam vel etiam vigesimam diem hinc inde in pectore, et circa collum milliaria alba apparebant paucissima, vix unquam plura prodibant, postridie rursus disparentia: sopor sensim gravior, profundior, tremores vehementiores continui, pulsus obscurus, irregularis, continuo debilior, celerior; alvus involuntaria foetidissima, carphologia, sudores copiosi, inutiles, delirium mite lentam morbi ad mortem properationem comitabantur.

Accedebant sub finem sudores frigidi, viscidi, stupor continuus, decubitus inflammati, in gangraenam cito abeuntes; functiones naturales omnes paralyticae; lacrimae involuntariae, puris apparentia in cantho oculi majori: tandem mors continuas inter convulsiones, sopore continuato, accedebat vigessima quarta, trigessima, quadragesima, imo sexagesima die.

Mor-

Morbum hunc feliciter superabant ii, qui versus decimam, decimam quartam, decimam septimam, vel vigesimam diem diarrhaea afficiebantur; in his febris sensim minuta remissiones faciebat, inque veram intermittentem, tertianam vel quotidianam abibat, cerebri affecti symptomatibus indies magis magisque evanescentibus.

Funestissimus hic morbus variae aetatis, variique temperamenti ac sexus homines aggressus est, sexui tamen sequiori funestior. Contagiosus erat, vidique familiam integram, ex qua filiola prima ejus cadebat victima, cum hoc morbo luctantem.

Post mortem plurimorum nares pure manabant.

In cadavere viri cujusdam hac febri die vigesima quinta mortui, inveni vasa menigum cerebri praecipue sinum falciformen, et sinus tentorii sanguine nigricante scaturientes, membranam, quae sellam turcicam tegit, colore lividam, ichorosam aquam quantitate unciarum duarum infra lobos antriores cerebri, sanguinem universi corporis dissolutum, pulmones sanguine plenos,

per-

perponderosos, intestina hinc inde livida, alia viscera omnia sana.

Adultos, viros, foeminas, robustos, et debiles, hoc quidem morbo affectos vidi, at plerumque erant debiliores, curis, laboribus, vigiliis, inedia exhausti. In phlegmaticos sexumque sequiorem morbus hic minus erat placabilis.

Hac quoque ratione contagium, quod impune non contemnebatur, afflabat potissimum illos, qui diu noctuque propius aegrum, lento ejus fato longiori tempore ingemiscentes, linteamina excrementis putridis per decem et plures dies involuntarie dejectis conspurcata cum mundioribus commutabant, plenoque putridos halitus inhauriebant respirio.

Causae hujus funesti morbi in intima corporis nervorumque compage latitantes, vix aut ne vix erui poterat. An a solidorum laxitate, tenuitate sanguinis, aut lymphae lentore ortum trahat, ut Huxham autumat, incertum est. Sanguis vero in initio fere semper compactus, et crusta tectus apparuit.

ruit. Cerebrum, nervorumque principium hoc in morbo effecta esse, dicunt omnia.

Interim an tota ibi resideat causa, an et primae viae, et bilis suam ad hanc tragoediam conferant symbolam, problema est. Fors vomitus isti frequentes sola affecti cerebri symtomata sunt, et dyarrhaea tempore critico ut plurimum accedens coctionis universalis critica eductio est, cum et urina simul sedimentum largum deponat. Certum vero est, naturam longo hic indiguisse tempore et assiduo labore, usque dum varios inter motus convulsivos materiam morbi per sudorem et alvum critice ejiceret.

Frequens et in omnibus fere aegris observatus e naribus emunctis exiens mucus sanguinolentus non obscurum sanguinis in capite stagnantis, et inflammationis ibidem latentis signum est: item salivatio sub finem morbi superveniens, optatum morbi, resolutionem feliciter jam tandem molientis, indicium.

Interim prognosis semper anxia fuit, et quaecunque excogitata et electa fuerit medendi methodus, ars hoc in morbo dubia sem-

semper victoriae triumphum canere non audet. Cui methodo palmam adjudicem tradam breviter.

Initio primas vias emetico et purgante leniori evacuavi. Educebatur inde per os mucus aquosus, parum amaricans, in quibusdam ciborum ingluvies. Vomituritio post vomitum non semper imminuebatur, nec oris amarities, saepe per integrum morbi decursum continua. Interim initio morbi sufficiebat, levi remedio primas purgasse vias a sordibus mobilibus. Ubi enim ob febris intermittentis typum gastricae sordes in causa credebantur, et repetita exhibebantur emetica et purgantia, emesi, ac dyarrhaea inani nil praeter aquam et mucum inertem prodibat, accelerata febri, debilitate aucta, et nervorum tumultu graviori.

Enemata incidentia optimo cum effectu alvum segnem evacuabant: prodibant inde septima modo die foeces foetidissimae liquidae: interim et in hoc casu purgantia ore sumpta nocebant, cum vires magis exhaurirent. Plenaria foecum eductio relinquenda fuit naturae, sua sponte coctam morbi materiem lente educenti

Sa-

Saepius in cursu morbi spontaneus materiei glutinosae, biliosae aeruginosaeque vomitus accedebat; hunc leni emetico juvabam prospero eventu. Hinc et sola vomituritio, aut amarities oris fortior, dolor, et pressiones ad cardiam, aliaque ventriculi colluvie repleti signa indicabant in medio morbi cursu emeticum, quod cum magno levamine perversam morbi materiem educebat.

Evacuatis primis viis solventia et diluentia medicamenta propinavi. Spiritus mindereri optime omnium conducebat, penetrante sua et solvente virtute: verum pro ratione majoris, minorisve aceti acredinis varia quantitate dandus erat, unciae duae per diem plerumque sufficiebant in mixtura ex aqua quadam destillata grata non stimulante cum syrupo et nitri drachma dimidia.

Fortiora antiseptica certo nocebant: nec camphora, aliaque stimulantia initio proficiebant; febris enim effervescebat vehementius, et convulsiones accelerabantur. Potus diluens grate acescens et nutriens ad curationem praecipue contulit. Serum lac-

tis

tis decoctum hordei, et malti ad hunc scopum prae reliquis accessere propius. Sanguinis eductio statim ab initio morbi administrata, capitis dolorem et oppressionem multum levavit: sanguis etiam eductus plerumque fuit crustaceus. Ast cavendum fuit a repetita venaesectione, secunda enim sanguinem quidem levi adhuc crusta tectum, tertia vero omnino dissolutum exhibuit cum maxima et irreparabili virium jactura. Hirundinum pone aures applicatio et scarificationes sanguineae ad nucham feliciorem produxerunt effectum, nec vires adeo ademerunt. Praecipue vero scarificationes ad nucham duplici scopo proderant, sanguinis nimirum phlogistici topica eductione, et irritatione ad verticem vicinum facta, unde revulsio salutifera, et eductio e loco nobiliori perficiebatur.

Vesicantia pone aures et ad nucham nunquam omittenda, sed statim ab initio morbi applicanda erant, et ulcera eorum per totum morbi decursum aperta servare oportebat, ut hic in parte minus nobili continua fieret irritatio ad eliciendam morbi materiem, et ad internam irritationem exterius evocandam.

Febri in continuam mutata, et sopore nunc vel alio accedente capitis affecti symptomate, lenia irritantia nervina exhibenda erant. Moschus hic inter alia excellebat cum croco ad grana quatuor vel sex omni sexta vel octava hora datus, imo et saepius pro majori minorive mali conditione. Infusum florum arnicae, et radicis contrajervae bonos quoque praestabat effectus.

Ab omnibus vero spirituosis, omnibus fortioribus antisepticis et adstringentibus febris exardescebat vehementius, et capitis calores, doloresque augebantur, anxietates, inquietudines, oppressiones, aurium tinnitus, et surditas, et alia, quae e raptu humorum ad praecordia, et encephalon oriebantur symptomata, in pejus ruebant. Camphora ad unum vel duo grana exhibita solvente quidem virtute nervina pollebat, ast a moscho praestantiorem certioremque videor observasse effectum.

Vapor aquae tepidae naribus attractus, promovebat emunctionem muci sanguinolenti, Erectus corporis situs, atque aeris renovati frequens et liberior inspiratio aegrotos multum refocilabant.

Di-

Dimidium vero sanationis absolvit is, qui aegris animi tranquilitatem alacritatemque concilliare novit, eosque hoc in statu conservare.

Potus quidem copiosus dari oportuit ad diluendum, ad sustinendam diaphoresin, et ad detrimentum maligni laticis nutrientibus succis resarciendum; sed non nimius una vice exhibendus erat, nec tanta copia, quanta in aliis acutis requiri solet. Sic et calidus potus nocebat, sudorem et ventris oppletionem augendo. Vidi enim e nimis sedula potuum calidorum exhibitione funestissimos effectus. Potus moderate frigidus et palato aegri et naturae blandiebatur.

Saepe tussis aderat magna molestaque: saepe ad eam accedebat pectoris oppressio, omniaque superveniebant peripneumoniae signa medio quandoque in morbi decursu, cum pulsus elevatione, duritie, et respiratione cita ac suspiriosa. Raucedo quandoque tanta erat, ut vix vocem emittere possent, eaque ad finem usque perdurabat, cum vox copiosa denique sputorum excreatione rediret. Inflammationem pulmonum

hic adesse negari non potest, sed ejusmodi erat conditionis, ut sanguinis eductio et reliqua antiphlogistica methodus funestissimum hic sortitura fuisset eventum. Vapor aquae tepidae, tantillo aceto affuso, ore haustus multum hic praestabat levaminis. Vesicans inter scapulas spasmum pectoris cum acri irritante exterius trahebat. Continuata denique solventia et diluentia remedia sensim et pulmones liberabant ab acredine, et benignam ibi resolutionem coctionemque efficiebant.

Tussis haec et peripneumonia si medio in morbi cursu supervenirent, cum capitis dolore minuto, faustissimi erant ominis, jam enim per sputa facilior erat evacuatio. Sed malignus hujus morbi genius is erat, ut si per aliquot horas desaeviiset, statim iterum priori furore saeviret, nulla ratione cohibendus. Ubi vero una cum novo malo capitis affectio in eodem manebat, aucto morbi dominio, pessimi erat res augurii. Augenda jam erat cardiacorum dosis.

Pustulae oris et apthae frequenter in hoc morbo superveniebant. Inunc-

unctio cum mucilagine seminum cydoniorum, cui et aliquot vitrioli guttulae ad gratam aciditatem fuerant instillatae, omnium optime pustulas has sanabat; quae ubi apparuerant, frequentissime morbus salivatione terminabatur, nisi prius mors vitae filum abrupuisset.

Quam primum febris remissionem faciebat, id quod decima quarta, decima septima, vigessima die accidebat, et urina, hucusque semper pallido - flavicans, turbabatur, spes quaedam affulgebat: sudor enim copiosus et levans incipiente remissione oriebatur, quotidie copiosior, et satis magna coctae materiei copia, in quibusdam vera scibala dura, per alvum educebantur; ubi tamen et ab initio et per totum morbi tractum alvus quotidie bis vel ter aperta fuerat, claro indicio, inanes esse labores nostros renuente natura.

Urina jam etiam sedimentum deponebat lateritium, indies copiosius et citius apparens. Caput multo nunc fiebat liberius, dolor occipitis minuebatur, febris per sex et plures saepius horas apyrexiam faciebat.

Hoc in statu properandum erat ad corticem peruvianum, qui, hucusque noxius, nunc saepe erat mali remedium, quo morbus et cito finiebatur, et vires brevi restituebantur. Salinis vero et evacuantibus nuberet oportebat, ut morbi materies undique liberum retineret exitum, et alvus aperta servaretur. Uncia semis extracti corticis peruviani cum drachmis duabus salis mirabilis Glauberi, vel alius salis medii in aqua comixta, per diem sumpta evacuationes adjuvabat, et febriles recursus post unam alteramue diem penitus avertebat. Ad recuperandum vires hoc morbo valde fractas, ipse cortex peruvianus in decocto, vel lignum Quassiae in infuso, cito sanitatem confirmabant, cum diaeta carnosa et moderato vini generosioris usu.

Ut plurimum vero morbus non tam cito finiebatur: febris manebat continua continens, nec ulla apparebat vel minima remissio; sed symptomata cerebri affecti et languentis vigoris vitalis indies augebantur. Hic priora medicamenta sine ulla intermissione continuanda erant, moschus, crocus, spiritus mindereri, serum lactis cum vino paratum, flores arnicae in infuso vel extracto, aucta quandoque eorum dosi, dum

vires magis languere videbantur, quo in casu etiam extractum corticis peruviani conveniebat. Interim vesicantium ulcera semper aperta servare, et nova oportebat inurere.

Nil vero erat tumultuaria remediorum exhibitione et mutatione perniciosius: naturae enim multa reliquenda erant, et tempori: sufficiebat, si ars leniter refocillaret vires, et symptomati cuique nimis urgenti ocurreret.

Universim in hoc morbo evacuationes insigniores non parum afferebant incomòdi: vires enim alioquin languescentes inde penitus exhauriebantur. Sed si praepostera et impetuosiori cohibitione turbasses naturae molimina, non nocuisses minus.

Diarrhoea moderata per totum morbi decursum semper conducebat. Cum vero invalesceret, simulque accederet tenesmus, multo cum levamine dedi clysmata e lacte vel mucilagine gummi arabici, interne vero per unum alterumve diem infusum rhei ad uncias tres cum eleo-

eloesachari menthae drachma. Hisce mediis semper redibat quies.

Sudor nimius frequentior hujus morbi comes erat. Eum frigidis compescere non minus erat lethale, quam noxia ejusdem continuatio, quae vires languentes penitus dejiciebat.

Urina turbabatur quidem, sed absque depositione sedimenti, saepe et pellicula variegata, et pinguis in superficie natabat.

Vini rubri aqua diluti usus magna hic praestitit, et aegros mirum in modum recreavit, cutis siccum inter et mandidum media manebat, et colliquativus iste et pinguis sudor minuebatur. Dabam quoque hoc in casu et quidem optimo cum effectu mixturam ex uncia semis extracti radicis valerianae silvestris, drachma spiritus vitrioli, et aquae destillatae gratae unciis octo cum uncia syrupi cujusdam paratam cochleatim omni hora vel bihorio, et serum lactis vinosum. Potus denique omnis grate acidus conveniebat.

Ner-

Nervorum tumultus majores moscho, castoreo, croco compescebantur.

Miliaria nunquam in hoc morbo critica, nec unquam copiosa observavi. Circa vigesimam quandoque diem in collo hinc inde vix splendebant vesiculae, cum iterum disparerent; etsi regimen sat calidum servaretur, et aeger cardiaca continuaret. Fors nimia seri spissitudo, fors nimis languida vis vitalis, fors et defectus acrimoniae miliaris in causa fuit.

Non novi morbum qui prognosi hoc nostro sit fallacior. Aegri ipsi et sibi, et adstantibus sat bene, imo melius se habere videntur, sopor ipse concedit inducias, mentis compotes sunt, excretiones et functiones vitales omnes sat bene succedunt, sed heu miseros! subito medias inter adstantium gratulationes agoniam incidunt, brevique extinguuntur.

Vesicantium ulcera per totum morbi decursum aperta erant servanda, imo sopore continuante nova prioribus addenda. Mirum, ulcera haec raro gangraenescere, nec unquam, natura etiam ad obitum iam prope-

perante, exsiccari. In ipso mortui corpore ulcera perbene suppurantia, et magnam cantharidum ope elevatam vidi vesicam.

Saepe post trigesimum diem aegri singultibus et vomendi conanime vexabantur, aut etiam vomebant post quaevis assumpta. Id si ob assumptionem variorum remediorum per tantum tempus acciderat, abstinendum erat per diem unum alterumve ulteriori medicina, eique juscula bona fuerant substituenda: cochlear unum alterumve probi vini cum pane tosto multum conducebat.

Si vero et his non obstantibus continuabant vomiturítiones cum ore amaro, et lingua muco denso obducta; lene emeticum audacter exhibui. Evomebant mucum tenacem, fuscum, magno cum levamine et pacatione hujus novi symptomatis.

Exscreatio copiosa muci et salivatio fausti erant ominis: quo plus muci et salivae exscreabatur, eo magis aegri ad se redibant, eoque magis tremores et spasmi minuebantur, atque febris citius finiebatur. Crisin veram nunquam licebat hoc in morbo

bo sperare; erat cur gratularemur nobis de procrastinatione, aut si vitam aegri, tenuissimo pendentem filo, quam possemus diutissime servaremus. Quamprimum vero febris remissionem faciebat, et pulsus, qui hucusque 120 ictibus minutum aequabat, sensim sensimque minus gradiebatur celeriter, approximantem calamitatis finem tuto poteramus sperare. Ut plurimum urina hucusque semper pallida et cruda, jam evadebat coloratior, nonunquam etiam sedimentum deponebatur lateritium.

Vidi aegrum in quo post sexagesimum diem celeritas pulsus cum febre diminuebatur, circa quinquagesimum salivatio acciderat.

In hoc tam diu exoptato statu omnia alia medicamenta seponenda sunt, et solus cortex peruvianus exhibendus venit. Is jam febrim magis magisque mitigat, vires restaurat, et, si qua restitit in corpore morbi materies, eam per colatoria ejicit. Uncia una in libris duabus aquae per horam cocta, et quater per diem vasculatim exhibita sufficit. Debet vero diu continuari

una

una cum diaeta eupepta carnosa, et vini generosioris moderato usu.

Ecce simplex sed vera hujus febris descriptio, ecce simul illius sanandae methodus pluribus exemplis confirmata. Si unquam, certe hac in febre lente at ajunt et provide festina.

Febris exanthematica infantum.

Hic morbus alium secum advexit inter infantes epidemicum, nempe febrim quandam continuam, cui superveniebat coryza, pustularum in facie et collo eruptione mitescens. Lubenter coryzam hanc variolodem appellarem: similis enim erat scarlatinae variolodi, quam Sauvages observavit anno 1713. Eodem enim tempore post variolosam epidemiam morbus hic observatus est: eaedem et pustulae variolis similes in facie et collo prodiere; et morbus uterque non differebat nisi in hoc, quod ibi scarlatinae eruptio, hic coryza febrim hanc comitaretur.

Infantes a primo ad sextum aetatis annum prae aliis huic morbo erant obnoxii, tam ii, qui defuncti variolis, quam qui

non

non erant. Morbus sequenti modo procedebat.

Infantes praecedente levi horripilatione calebant, vomituriebant, in somno convellebantur. Postridie venter tumescebat, soporosi jacebant, genis rubentibus, oculis semiclausis, artubus in somno saepe convulsis, lingua flavo muco obducta, urina flammea, pulsu celeriter et frequenter micante.

Tertia die convulsiones erant majores, labium superius leviter tumidum, nares obstructae, et pustulae hinc inde in lingua, et labiis propullulantes.

Quarta die labium superius magis tumidum, nares magis obstructae, et os universum tumidum erat. Pustulae variolis non absimiles circa labia, hinc inde in facie, et infra maxillam apparebant. Pulsus jam mollior, celeritate auctus erat, convulsiones nullae, nec vomituritio. Sudor, alvus spontanea, venter collapsus, urina cum sedimento lateritio. Simul cum sudore nares deobstruebantur, et magna inde muci puriformis quantitas exibat.

Du-

Durabant hoc per duos, tres, quatuorve dies, cum pustulae brevi suppurantes indies novae prodirent, tenui sero manantes, sed duobus tribusve diebus post evanescentes. E naribus magna muci purulenti, serosi, saepe et sanguinolenti copia excernebatur tam acris, ut, quacunque difflueret, vestigia sui retineret. Salivae major erat excretio, urina simul jumentosa cum sedimento lateritio. Febris jam quiescebat, et appetitus cum sanitate redibat.

Sic morbus mitior procedebat. Plures vero diutius, et periculosius decubuere, imo non paucos morbus hic sustulit. Pituitosi, debilesque infantes primum coctionis stadium pluribus diebus absque ulla eruptione perpessi vehementius, diutiusque convellebantur. Jam si morbum non cognosceres, et vel difficilis dentitionis crederes esse affectiones, vel eum febrim inflammatorio-biliosam, vel saburalem haberes, et ut talem curare studuisses, quarta vel sexta die levis quidem conspiciebatur eruptio, labia, naresque parum intumescebant, sed brevi haec evanescebant, praecipue si ignoratis, contemptisque his signis inconveniens regimen persequutus fuisses; convulsiones in-

indies augebantur, et inflammatio vera in sinubus frontalibus et in meningibus cerebri sensim serpebat latius, nascebatur suppuratio, et octava, nona, decima die mors sequebatur certa, effroenisque. Paulo ante, et post mortem aures naresque pure et aqua manabant.

Ast ubi his in infantibus verus morbi status non fuerat ignoratus, facillima erat sanatio, nec unum vidi morientem, ubi statim ab initio conveniens regimen et medicatio fuerant adhibita: scilicet si naturae, ut materiam acrem e naribus, oris cavo, et cute his vicina ejiceret, auxiliareris. Quapropter infantes ab aere frigido quam cautissime erant arcendi, leniaque diaphoretica cum potu calido infusorum diluentium et leniter stimulantium ex floribus sambuci chamomillae vulgaris etc. quantocius adhibenda. Camphora ad granum semis vel integrum bis terve per diem exhibita, nec non vapor aquae calidae naribus admissus caeteris hic antecellebant.

His si natura ad expellendum acre nondum sat efficaciter excitaretur, vesicantia prope aures et ad nucham erant applicanda, qui-

quibus diligenter continuatis magna sensim e naribus seri purulenti copia effluebat, pustularum maxima sequebatur eruptio, quae faciem, collum, pectus, brachiaque occupabant, omnibus symptomatibus febrique procul fugientibus. Serum e naribus et vesicantium ulceribus effluens partes saepe vicinas inflammabat, corrodebatque. Saepe et auribus istiusmodi sero acri simul manantibus vidi sanitatem recuperari.

In nosocomium admissi fuerant per hunc mensem triginta octo aegri, decem et octo viri, viginti foeminae. Undecim foeminae totidemque viri acutis, reliqui chronicis et chyrurgicis morbis laborarunt. Ex omnibus triginta quinque sani exiverunt, tres mortui sunt. Mortuus ergo per hunc mensem aegrotantium duodecimus.

Singulatim laborabant febre rheumatica duo viri et foemina, febri lenta nervosa viri tres, foeminae totidem, febri inflammatorio-biliosa viri duo, pleuritide vir et duae foeminae, colica viri duo et quatuor foeminae, dyarrhaea vir, convulsionibus foemina, hydrope duo viri, oedemate vir, scrophulis vir, scabie vir et quatuor foe-

mi-

minae, scorbuto duae foeminae, fluore albo foemina, bubone foemina, vulnere viri duo, gravida una felicem partum enixa.

Quodsi nunc omnem aegrotorum numerum, qui singulis per annum mensibus curae nosocomiali commissi fuerant, computemus, apparet, susceptorum numerum esse 503, sanatorum 478, mortuorum 25. Calculo igitur facto videmus, ex omnibus per integrum anni decursum in nosocomium susceptis aegris vigesimum quemque mortuum, reliquos omnes sanitati fuisse restitutos. Videmus simul hanc proportionem singulis mensibus nullatenus responde: Januarius ut enim funestissimus, sic Julius et September fuere caeteris clementiores.

In civitate hoc mense obierunt 1128. Per integrum vero annum, summa omnium mensium computata, mortui sunt in civitate 16157.

Essex Institute Library

DEPOSITED BY

THE ESSEX SOUTH DISTRICT
MEDICAL SOCIETY

Received October 6, 1906